



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio XXIV. In Tit. XXIV. De Jurejurando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat; ratio secundi est; quia in casu, quo quæritur, an defunctus voluerit facere testamentum, si reperiat eus scriptura, ubi expressit heredem, esto solennitates aliæ non intervenerint? responsio affirmativa probabilior est ex præsumptione, fundata in eo, quod eum scripserit heredem; hoc enim est de substantia testamenti; & præfertur præsumptioni contrariæ, quæ fundatur in defectu solennitatum.

Resp. 2. præsumptionem specialiorum prævalere præsumptioni magis generali [nam licet ex damno dato generaliter præsumatur, esse datum à vicino; si tamen iste est vir, communi hominum æstimatione illæ sæ dignitatis, & vir integer, habet pro se præsumptionem specialem, ac elidit alteram] & præsumptionem, quæ conducit majori animæ securitati, prævalere contrariæ; ut si quis in censura constitutus est, esto dicat se absolutum, præ-

sumitur tamen existens in censura, dum probatione contraria elidat præsumptionem animæ plus faventem.

Resp. 3. etsi in casu, quo Titius Caio minatus est mortem, & hic deinde reperiatur occisus ignorato homicida, præsumptio sit contra Titium; si tamen is probet naturalem impotentiam [v. g. se tali tempore nec fuisse in eo loco, atque adeo naturaliter fieri non potuisse à se illud homicidium] habet præsumptionem pro se, fundatam in naturali impotentia; quæ utique prævalet humanis conjecturis. Hæc Haunold, tom. 5. de jure & just. tr. 4. à num. 643. ubi etiam tradit præsumptionem, quod quis voluerit operari secundum jus commune, quando poterat operari ex jure speciali v. g. privilegio, prævalere contra istam; ita ille; multistamen limitationibus subsunt hæc regulæ, cum applicantur in casu particulari; quamvis deservire possint, quamdiu non probatur fallentia.

QVÆSTIO XXIV.

IN TIT. XXIV. DE JURE JURANDO.

2000. **P**ostquam actum est de probationibus in genere; tum etiam eâ, quæ in specie fit per testes, instrumenta, & præsumptiones; hoc titulo agitur de alia probationum specie, quæ fit per jusjurandum; nam *jurisjurandi religio est maximum remedium expediendarum litium*, L. 1. ff. de jurejurando. Cum enim frequenter deficient aliæ probationes; imò & attestations quandoque non habeant eam vim, ut circa periculum falsi sufficiant, ut Judex secundum eas pronuntiet, nisi jurate sint; multa etiam interveniant, quæ consistant in solo animo: recurritur maxime in judiciis ad juramentum, quod ejus religio merito censeri debeat, cohibere hominem à falso per jusjurandum firmando, ingenti omnino irreverentiâ in divinam Majestatem, cum tanquam

testis falsi allegatur. De hoc agitur præfenti titulo.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit juramentum?

Juramentum est fidei signum firmissimum, conjunctum Dei testimonio, cum jurantes, in re dubia, testem Deum invocent; definitur ab aliis sic: *est actus, quo divinum nomen, fidei faciendæ causâ, adhibemus*; ab aliis in hunc modum: *juramentum est attestatio divini Numinis: seu invocatio divini testimonii ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam*; attestatio enim est invocatio, qua Deus adducitur in testem: à P. Thoma Sanchez l. 3. in Decalog. c. 1. n. 1. definitur: *invocatio divini nominis in testimonium*. Differt ab oratione: quia hæc est invocatio

tio divini nominis, gratiâ petendi auxili, ut à misericorde, & omnipotente: per illud autem petitur, ut tanquam testis infallibilis testetur affirmatum.

2002. Ex his colligitur, qualiter juramentum differat. 1. ab *adjuratione*; hæc enim est rei sacræ contestatio ad permovendum alterum: & juxta S. Thom. 2. 2. q. 90. a. 1. datur, quando quis aliquam personam imperando, vel obsecrando inducit ad aliquid faciendum, omittendumve, in invocatione alicujus rei sacræ. Unde duplex est, altera *imperativa*, quando quis adjurat præcipiendo: altera *Obsecrativa*, quando quis adjurat obsecrando. Differt ab oratione [inquit Sanch. l. 2. c. 42. numer. 1.] quòd in hac peratur aliquid à Deo, & in illa propter Deum: cum oratione verò coincidet, si simul à Deo propter Deum aliquid petatur.

2003. Secundò ab *abiuratione*; nam *abiurare* est rem creditam juramento negare, vel sponsonem factam negare jurejurando. Apud Canonistas est *renunciare*, c. *audita*, de *restitut. spol.* *Abiurare mulierem*, est juramento repudiare, ut ait Albericus V. eod. *Abjuratio* quandoque stat etiam pro juramento, c. *constitutus*, 2. de *appellat.* *Abjurare* [inquit Summa Dianæ V. eod.] est detestari cum juramento. *Abjurant* autem hæretici, vel de hæresi suspecti, ad excludendam suspicionem, vel infamiam hæresis, detestando hæresim, de qua convicti, vel indicati sunt. Cum verò triplex sit suspicio, levis, vehemens, & violenta, triplex ab Inquisitoribus indicitur *abjuratio*, quæ aut de levi dicitur, aut de vehementi, aut de violenta, præter quartam, quæ dicitur de formali, & est illa, quæ fit in forma solemnæ.

2004. *Præstatio fidei* secundum se, teste Sylvestro V. *juramentum*, l. n. 7. non est juramentum, nisi, ubi sumitur *fides* pro virtute Theologica; quia juramentum fit sacræ rei interventu, non autem fidei præstatio; hæc enim dici potest promissio facta super propria fide, id est, fidelitate; erit juramentum, si dicatur: juro si biper fidem meam, seu Evangelium me

Tom. II.

daturum. *Homagium* autem juxta Sanchez l. 3. *Decal. c. 2. n. 33.* non est juramentum, sed promissio simplex quibusdam solemnitatibus inter nobiles facta. Unde teste eodem l. 6. *matr. D. 11.* donatio inter conjuges non confirmatur *homagio*; quia in hoc non interponitur divina fides, sed humana.

2005. Quoad divisionem juramenti, notandum, eam esse multiplicem; primò enim dividitur in contestatorium, & execratorium. *Contestatorium* fit per simplicem contestationem, in qua Deus vocatur, ut testis, v. g. quando quis dicit: *Testor Deum, juro per Deum.* *Execratorium* fit per execrationem, in qua vocatur Deus in vindicem, ut puniat iurantem si fallat, v. g. *si hoc non fecero, subita mors accidat mihi, & filiis meis.* 2. in absolutum, & conditionale. *Absolutum*, omni conditione caret. *Conditionale* est, quod habet conditionem tacitam, vel expressam; tacita conditio subest, vel ex iurantis intentione, vel ex iuris dispositione. 3. in solemnæ, & simplex.

2006. *Solemne* est, cui adiacet notabilis aliqua circumstantia externa, ut, si fiat in tribunali, vel tactis reliquiis, & Evangeliiis, vel coram notario, & testibus. *Simplex* est, quod caret huiusmodi circumstantia. Utriusque datur; eadem vis coram Deo, quamvis solemnæ violatio sit maius peccatum ob scandalum. 4. & principaliter in assertorium, promissorium, & comminatorium. *Assertorium* est, cum iuratur de præsentis, vel de præterito, *sic esse*, vel *non esse*, *fuisse*, vel *non fuisse*. Addit Lessius l. 2. c. 42. num. 11. posse extendi in futurum, licet rarius fiat: ut, si iurem, *Petrum cras moriturum.* *Promissorium* est, quo confirmamus nostram promissionem: ut si quis iuret, de futuro se alteri aliquid daturum, vel facturum. *Comminatorium* est, quo iuramus minando alicui pœnam: ut *si pater iuret, se puniturum esse filium.*

2007. Sub prædictis membris iuramentum dividitur continentur iura-

U u u

men-

menta septimæ manûs, affectionis, calumniæ, veritatis, litis, & in litem. *Juramentum septimæ manus, de quo c. laudabilem, de frig. & malefic.* prout requiritur ad probandum impedimentum impotentia, sic intelligi debet iuxta Sanch. l. 7. matr. D. 108. num. 11. ut, si uterque coniunx fateatur impedimentum, cuiuslibet coniugis septem consanguinei jurent, *sibi esse verisimile, conjuges verum fateri.* Si autem deficiant consanguinei, id præstent septem vicini cujuslibet, ita ut omnes sint quatuordecim. Vicinis verò deficientibus, alii testes bonæ famæ, & omni exceptione majores. *Affectionis* juramentum, & *in litem*, coincidit; nam *jurare in litem*, est sui ipsius juramento, rei, quæ in lite, seu iudicio petitur, æstimationem inire, & pro quanto ea rarere nolit, affirmare; dicitur igitur affectionis juramentum; quia in eo accipiendo Judex sequitur affectum actoris, V. Molin. tom. 1. iust. D. 216. in fine; de hoc V. infra numer. 2014.

2008. *Juramentum calumniæ* datur, cum quis jurat, se bona fide, & non animo calumniandi, agere, egisse, vel acturum. Unde juxta Sanchez l. 3. Decal. c. 3. num. 7. jurant de calumnia, qui jurant, *se bona fide, & non animo calumniandi, causam movere, vel aliquid proponere, vel respondere, nec in posterum se facturos*: quid continere debeat, & reliqua ad ipsum pertinentia, exposuimus supr. à num. 687. ubi etiam de *juramento malitiæ*, à n. 692. *juramentum veritatis* est, quod Judex cognitâ causâ defert actori ad supplendam probationem ejus; *litis decisorium* juramentum, prout habetur apud Zaf. Instit. de action. §. item si quis, nihil aliud est, quàm iudiciale, per quod lis deciditur, v. g. quando creditor (ut exponit Molin. tom. 2. D. 561. §. 2.) ob probationis sufficientis defectum, exegerat in iudicio, ut debitor juraret, num id deberet, & debitor negaret sub juramento tale debitum; tunc id *juramentum, decisorium* idèd dicitur,

quòd eo lis dirimatur; per illud enim reus liber à solutione debiti maneret, non secus, ac si debitum solvisset.

Juramento contrarium est *perjurium*, de quo L. fin. ff. de crimiu. stellionat. derivatur à verbo *periurare*, quod est *pajerare*, seu *falsum iurare*: juxta Lessium l. 2. c. 42. d. 14. accipitur, i. latè pro omni juramento, cui ex tribus comitibus aliquid deest, sive veritas, sive iustitia, sive iudicium. 2. propriè pro juramento, cui deest veritas, sive præsens [ut si quis scienter falsum confirmet] sive futura, ut si fidem datam, & juramento firmatam sine causa non servet; in qua acceptione sumunt Leges perjurium: quod quidem apud Latinos in rigore committit, tum qui falsum jurat, tum qui promissionem juratam sine causa non servat. Unde iuxta Azor. p. 1. l. 11. c. 12. quadruplex est perjurium, duplex *rigorosum* ex defectu veritatis, præsentis & futuræ: duplex *improprium* ex defectu iustitiæ, & iudicii. *Jurati* nomen habent à iuramento, quod præstant exequendi fideliter officium, sive sint consiliarii, & anciani, sive priores, qui multitudinem regunt.

Illud etiam hic annotandum, quòd *jusiurandum*, seu iuramentum postulet tres comites, nempe *veritatem*, ut quis juret rem veram; *iustitiam*, ut iuret rem iustam, ac licitam; & *iudicium*, ut iuret ex causa. Si desit veritas, efficitur Deus, vel ignorans, vel improbus; cum adducatur in testem falsitatis: & semper est lethale; si desit iustitia, efficitur Deus iniustus, & quasi cooperator mali promissi: & est lethale, aut veniale pro ratione materiae: Si desit iudicium, fit Deo irreverentia, quatenus sine causa in testem adducitur: & tunc si super re levi, vel quæ maius bonum impediatur, fortè non excedit veniale.

Præter hæc not. i. sæpius mentionem fieri de *iuramento promissorio fidelitatis*, quale est iuramentum fidelitatis, & obedientiæ, quod Episcopi in sui ordinatione præstare debent Romano Pontifici, cuius forma ponitur in

c. Ego.

c. Ego. 4. b. t. quod 7. capitula continet; nimirum, primò jurare debet Episcopus, quòd fidelis erit S. Petro, & Romano Pontifici, ejusque Successoribus canonicè electis; Secundò, quòd neque consilio, neque facto juvabit, ut occidatur Papa, vel membro mutiletur, vel capiatur; tertio, quòd consilium Papæ, ipsi quovis modo manifestum, ad damnum Papæ nulli revelabit. Quarto, quòd Papatum Ecclesiæ Romanæ, & Regulas SS. PP. (id est Canones SS. Patrum per Sedem Apostolicam approbatus (Hostiens. *hic V. regulas*) defendere velit contra omnes homines, & retinere, salvo Ordine suo (id est, quatenus spectatâ ordinis sui dignitate, ac statu, honestè, ac decenter potest.) Quintò, quòd vocatus ad Synodum [Provincialem, quam indicit Archiepiscopus, vel ad Concilium generale, quod indicit Papa [Hostiens. *hic V. Synodum*] venire velit, nisi canonicum impedimentum obstiterit. Sextò, quòd Legatum Sedis Apostolicæ, si certum esse cognoverit (ex literis suæ legationis) honorificè tractare, & in necessitatibus ejus adjuvare velit. Septimò denique, quòd Limina Apostolorum, singulis annis, per se, vel per certum nuntium, visitare velit, nisi hujus obligationis remissionem à Papa impetrarit.

2012. Sed adverte 1. hoc juramentum fieri Papæ, in quantum est in eo suprema jurisdictio Ecclesiastica; non autem, in quantum consideratur ut dominus bonorum temporalium; nam hoc juramentum præstatur à jurantibus, *in quantum Ecclesiasticis*; forma verò juramenti fidelitatis, quod Vassallus præstat Domino feudi, habetur in 22. q. 5. c. de forma. 18. Advert. 2. juramentum de visitandis liminibus Apostolorum, intelligi solum de Episcopis Romæ vicinis; non remotis, *c. Juxta, dist. 93. junct. gloss. V. de longinquo.*

2013. Not. 2. juramentum fidelitatis, & obedientiæ, per Episcopum, non esse exigendum à suis Clericis, nisi quibus commissa est dispensatio, & administratio rerum Ecclesiasticarum; *c. Nulli. Tom. II.*

lus. 5. b. t. c. Legebatur 3. de majorit. & obed. nisi forte simplex Clericus suspectus esset de rebellione; vel inobedientia per *dict. c. 3. junct. gloss. V. Injuria*; forma verò juramenti, quod in sua coronatione Imperator præstat Ecclesiæ Romanæ, ac Summo Pontifici, refertur in Clement. *unicab. t.*

Not. 3. juramentum *in litem*, à quibusdam triplex assignari; primum dicitur veritatis, seu *veræ estimationis*, quod defertur ad cognoscendam quantitatem, seu valorem rei per alterius vim, vel dolum amissæ, *L. in actionibus, 5. §. sed & in his, ff. de in litem jurando*; alterum dicitur affectionis; si enim res alicujus dolo, vel culpâ alterius amissa, vel destructa sit, quæ ipsi valde chara erat, ob singularem utilitatem, v. g. Codex, in quo notata sua quis conscripserat: tunc permittitur ipsi ejus pretium, secundum privatam affectionem, & utilitatem æstimare, præcedente tamen Judicis taxatione, ne in immensum ob affectionem juretur, *L. videamus 4. §. deferre, ff. de in litem jurand.* tertium est *super interesse*, & *extra rem*; si quis enim pecuniam v. g. deposuit apud alterum, isque propterea, quòd suo tempore non fuerit restituta, per accidens damnum passus est; quia pretium frumenti, vel vini interim crevit, talis potest hoc damnum suum, juramento interposito, æstimare, *L. Nimis, 3. ff. de in litem jurando.*

ARTICULUS II.

De obligatione juramenti.

CUM hæc diversa sint, *jurare illicitè*, ac *jurare illicitum*; frequentèrque accidat jurari temerè, vel compulsum metu, &c. præsentis loco exponenda venit obligatio juramenti; qua in re certum est, juramentum promissorium de facienda re illicita, quæ scilicet citra peccatum præstari non potest, non obligare; ne scilicet juramentum sit vinculum iniquitatis, ut dicitur *c. 18. h. t. quia*

U u u 2

ta

tamen de nonnullis juramentis, in certis casibus, vel particularibus materiis, quandoque dubitari solet de ipsorum vi, & obligatione; in particulari seqq. §§. agemus.

§. I.

An juramentum, contra bonos mores editum, obliget?

2016. **V**idetur dicendum, quod non, ex regula 58. de regul. juris, in 6. ibi: *non est obligatorium, contra bonos mores præstitum juramentum*; pro resolut. not. quod aliquid possit esse *contra bonos mores*, vel *civiles*, vel *naturales*; contra bonos mores *civiles* esse dicitur, quia, licet res promissa in se non sit peccatum, inde tamen bonis moribus, quos in bene instituta republica servari decet, potest facile præjudicium afferri: contra *naturales* autem esse dicitur, quando res promissa impleri non potest absque culpa lethali, vel veniali; qua observatione positâ & quando dicitur, juramentum præstitum de faciendo, vel omittendo aliquid, quod est *contra bonos mores*, non esse obligatorium, procedere solum, quando est contra bonos mores naturales; secus, quando solum est contra bonos mores civiles; ita Sanchez tom. 2. Matr. D. 32. n. 1. & apud eum complures alii; unde bene advertendum, an juramentum sit illicitum solum *ex parte jurantis*; an *ex parte objecti*? dicitur autem illicitum *ex parte jurantis*, quando jurare non licet in talibus circumstantiis, esto juramentum non cadat super faciendo, vel omittendo, quod fieri, vel omitti non potest sine peccato; sed etiam quando sine peccato fieri potest; *ex parte autem objecti*, si secus, nimirum, quando quod promissum est, fieri sine peccato non potest, inseparabili in executione.

2017. Unde in hac materia rectè discurrit Petrus Peckius ad regulas juris canonici,

reg. 58. n. 1. dicens: quemadmodum juramentum, legitime præstitum, negligi, contemni, aut absque effectu aliquo operandi, esse non debet, sed perjurus & infamiâ notatur, *L. si quis major. C. de transact.* & si in contractu se non contraventurum spondit, & juravit, ipsum Deum (quem veluti Judicem, & testem, peculiarem ultorem habet, *L. 3. C. de rebus credit*: ita quoque contra, hoc Juramentum, quod in causa propria constituit) perjurii sui adversus bonos mores, id est, *contra æquitatem naturalem, honestatemve* præstitum fuit, servari non debet, *magnaque sapientie est* (inquit canon) *hominem revocare id, quod semel perperam, & male locutus est, c. magna, 22. q. 4.* Unde & ex Isidoro respondit Gratianus, *c. in malis, ibid. in malis promissis rescinde fidem; in turpi voto, nuda decretum; impia est promissio, quæ scelerè adimpletur.*

Juramentum igitur de faciendo, vel omittendo aliquid, quod facere, vel omittere est contra bonos mores *naturales*, ipso jure nullum est per ordinem ad effectum inducendi obligationem naturalem faciendi, vel omittendi, quod bonis moribus naturalibus, seu conscientie adversatur; cum implicet obligatio ad peccatum; secus, si, quod juratum est, à jurante licite fieri potest. Et ideo Sanchez cit. quoties, inquit, ex parte jurantis res est licita, saltem ad redimendam vexationem, quamvis is, cui juramentum præstat, iniquè extorserit juramentum, est validum, & obligatorium, ut constat ex *c. Debitores. 6. de jurejur.* ubi dicitur, *obligare juramentum solventi usuras*; quia promittens, absque culpa, ad redimendam vexationem, jurejurando pollicitus est: idem constat ex *c. 2. de pact. in 6. & c. Cum contingat, h. t.* ubi traditur, omnino servandum esse juramentum, cujus observatio non vergit in dispendium salutis æternæ.

Hinc fit, quod juramentum rei licitæ,

citā, metu extortum, obliget, ut dicitur *c. si verò. 8. de jurejurand.* ubi, cum Alexander III. ab Archiepiscopo Senon: consultus esset, an, si quis quemquam gravissimo metu, sub religione juramenti, suum jus refutare coegerit, ipsumque sibi retinuerit; an alter eorum, vel neuter id habere debeat? respondit: quod non est tutum, quemlibet *contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ*: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur; verum aliquando in Romana Ecclesia, à pluribus prædecessoribus nostris, factum esse recolitur, quod Clerici, qui *coacti Ministerium Ecclesiæ abjurarunt*, & ad coërcendam iniquitatem eorum, qui missi sunt in eadem Ecclesia ministrare; ex quo textu communiter desumitur, prout ibidem exhibet Rubrica, si juramentum per metum extortum servari potest sine interitu salutis æternæ, servandum esse: Ecclesiam tamen Romanam consuevisse à tali juramento absolvere.

2020. Simile quid habetur in *c. Verum. 15. eod.* ubi Cælestinus III. ad quæstionem quinto loco à Brundusienfi Episcopo propositam, *an à Sacramenti vinculo absolvantur, qui istud in vita & rebus servandis fecerunt?* respondens ait: nihil aliud arbitramur, quàm quod antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, *quittales à juramenti nexibus absolverunt*. Cæterum, ut agatur consultius, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expressè dicatur, ut juramenta non servent: *sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi*. Igitur, quando juramentum ex parte jurantis quoad rem promissam est licitum, jurantem obligat, sed non *irrevocabiliter*, hoc est, ut exponit Layman in dict. *c. si verò. n. 1.* quia facile relaxationem obtinere potest opponendo injuriam per injustum metum gravem incusam.

2021. Ut autem hoc amplius declaretur, not. quod ex juramento promissorio promissione homini facta, duplex oritur obligatio; altera *expressa facta homini*; & ex hac parte juramentum turpiter extortum, non obligat; homo enim nullum jus saltem firmum, per injuriam acquirit: *altera Deo*, qui in testem invocatur, atque ita tenetur jurans Deo servare, quod per nomen suum promissit, si licitum sit; quodclare significatur *c. Debitores, de jurejur.* ibi: *si verò de ipsarum solutione iuraverint, cogendi sunt reddere Domino iuramentum*; ubi non dixit *usurario*, quia ipse nullum jus acquisierit, sed *domino*. Unde optimè Covarr. *de pact. 2. p. §. 3. n. 2. vers. primum ex hoc intellectu*, probat, nec secundariò acquiri obligationem creditori ex ea promissione jurata; quod tamen intellige, quando promissio, & juramentum valet; tunc enim *ex illa* nascitur juramentum justitiæ; *ex ista*, religionis; unde, si hoc non valet, nullà eget absolutione; sicut hoc dicitur de excommunicatione invalida in *c. Solet, de sent. excomm.* Advertendum tamen, quando dicitur per juramentum in casu, quo injustè extortum est per metum, induci obligationem religionis respectu Dei, licet non *injustitiæ* respectu hominis, debere intelligi de juramento per se stante; non autem merè accessorio promissioni; nam si ea non valet, nec valebit juramentum supponens illam.

2022. Præter hæc not. magnum esse discrimen inter hæc duo: juramentum *confirmat* contractum, & *non confirmat* contractum, sed observandum est ob divini nominis honorem, donec relaxetur; primò enim, quando juramentum obligat, non tamen *firmat* contractum, dimittitur contractus in sua natura, & si erat invalidus, adhuc manet invalidus: quia juramentum tunc temporis nullum vinculum addit contractui, sed tantum obligat in ordine ad Deum, ne testis falsus sit, ut dixi supra; & cum contractus sit in ordine ad hominem, cui per juramentum hoc nullum jus acquiritur, inde est, ut contractus

ille nullam vim ex juramento fortia-
tur; ita Sanchez *cit. n. 4.*

2023. Sed circa hoc advertendum, quando
dicitur, quod contractus, quem non
confirmat juramentum, nullam vim
ex juramento fortiaur, accipiendum
esse, *de vi iustitiæ*, ubi contractus de se
est jure nullus; tales enim contractus,
jure nullos, non confirmari juramen-
to, ut nascatur obligatio in vim iusti-
tiæ, constat ex dict. *lib. 1. tit. de pactis*:
quod etiam procedit, quod nec obli-
get in vim religionis, ubi juramentum
est *accessorium* contractui jure irrito,
seu invalido, ut diximus num. præced.
obligaret tamen in vim religionis, si ju-
ramentum esset per se stans, licet con-
tractus esset nullus, modò res promissa
foret licita.

§. 2.

An, & qualiter obliget iuramentum
per creaturas?

2024. Ante respons. notand. juramentum,
quo Deus in se ipso vocatur in te-
stem, sive assertorium, sive promissori-
um, de se, ac natura sua, non esse illicitum,
modò habeat veritatem, iudicium,
& iustitiam, ut exposuimus in præmissi-
ratio sumitur ex *c. etsi Christus 26. h. t. ibi*:
potest sine culpa iurare, modò non trahat
spontanea voluntas ad iurandum, sed im-
portuna necessitas; & habeat tres illos
comites, de quibus dictum est. Nullibi
enim dicitur, quod juramentum *malum*
fit; quamvis dicatur esse à malo propter
crescentem malitiam hominum, & cor-
ruptam originali peccato naturam, non
volentium credere non juranti, & quan-
doque loquentium non vera. Jura-
mentum igitur per se malum non est,
cum sit confirmatio veritatis; unde,
cum videtur prohiberi juramentum,
est tantum pro casu, quo caret suis dire-
ctis comitibus.

2025. Not. 2. etiam posse jurari *per creaturas*,
non quidem sistendo in illis; sed relatè ad
Creatorem, Deique potentiam, & veri-
tatem; unde nunquam Christus prohibuit
juramentum per Creatorem, ut di-

cit Innocentius in dicto *c. 26. sed tantum*
per creaturam; cujus rationem reddit:
ne per huiusmodi iuramentum transfer-
retur ad creaturam honorificentia Crea-
toris. Quare, cum in Evangelio præ-
misisset: *Dico vobis, nolite iurare omni-*
no; statim subiunxit: *neque per celam*,
quia thronus Dei est: *neque per terram*,
quia scabellum pedum ipsius est: *neque*
per Hierosolymam, quia civitas est regni
magni: *neque per caput tuum*, quia non
potes unum capillum facere album, aut
nigrum.

Difficultas tamen est ex verbis seqq. 2026
Innocentii in *ead. c. 26. ibi*: *& quamvis*
non sit per creaturam iurandum: si tamen
iuret per creaturam, servandum est
quidem, dummodo sit licitum, quod iura-
tur: quia teste veritate, qui jurat in celo,
jurat in throno Dei, & in eo, qui se-
det super eum. Si enim non licet jura-
re per creaturam, quomodo, si tale jura-
mentum nihilominus fiat, obligabit ad
præstandum, quod juratur, præsertim,
cum etiam D. Jacobus Apostolus veteret
jurari per creaturam, ut habetur in textu
cit. c. ibi: neque per celum, neque per
terram, &c. quo vetat juramentum per
quamlibet creaturam, quodcunque il-
lud sit. Resp. tamen, quando dicitur,
non esse iurandum *per creaturas*, intel-
ligi *sistendo in illis*, ut ostendit ratio In-
nocentii, ne per tale juramentum hono-
rificentia Dei transferatur ad creatu-
ras; non autem *relatè ad creatorem*, ut
exposuimus *n. 2025.* cujus ratio sumitur
ex ipso Apostolo, ut notat Innocentius;
quia, *si nec isto modo liceret iurare per*
creaturas, non dixisset Apostolus: *Homi-*
nes per maiorem suum iurant: & omnis
controverfiæ eorum ad confirmatio-
nem finis est juramentum: in quo paten-
ter ostendit, per quem fit iurandum,
cum ait: *homines per maiorem suum iur-*
ant, id est, *per Deum*; & cur fit iura-
dum, ut videlicet omnis controverfiæ
finis sit juramentum.

2027. Not. 3. quando in Sacris canonibus
prohibetur juramentum *per creaturas*,
ut habetur *22. q. 1. c. Clericum. 9. & seq.*
sermonem esse non de quolibet jura-
mento, sed eo, quod usurpabant Ethnici,
& gen-

& gentiles, qui jurabant per *solem, Jovem,* &c. tanquam *Deos.* Cæterum juramentum etiam judiciale, ubi opus, ac necessarium fuerit, ad sui juris conservacionem, etiam Viris Religiosis licitum esse, constat ex *14. q. 2. c. 1. & c. Insuper. 6. c. Tuis. 39. de Testibus.* Nulli enim vetita est confirmatio veritatis, quæ (ut tradit Innocentius III. scribens Abbati, & Capitulo Castellianis) præstatur per juramentum, *c. Esi Christus. 26. §. Quædam verò, h. t.* Quoniam autem dupliciter Deus in testem vocari potest, primò expressè, *ac in se;* secundo implicite, *ac in alio,* cum ordine ad Deum, v. g. *per Sacra Evangelia,* in quibus infallibilis Dei veritas continetur; *per Crucem,* cum ordine ad Christum in Cruce pro nobis passum; *per Sacramenta,* quatenus à Christo sunt instituta, & ex ejus meritis vim habent Sanctificandi; Covarr. in *c. Quamvis; p. 1. §. 1. n. 5. Silo. V. juramentum, 1. q. 1.* ideo *formæ jurandialis* sunt *explicite,* nimirum per Deum in seipso; *aliæ implicite,* videlicet in alio, sed cum ordine ad Deum; ut *juro per animam meam,* si non sistatur in hoc, sed relatè ad Deum, quasi dicondo, *quàm verè est à Deo.*

2028 Hinc plures ejusmodi formulæ; *Auf mein Ahd; bey meiner Seel/ &c.* si fiant sine ullo ordine ad Deum, saltem implicite Deum in illis vocando in testem, in re juramenta non sunt, præsertim, si potius proferantur ea verba ex pravo habitu, & sine deliberatione; quamvis in multis locis, in in ordine ad effectum probationis, accipiantur instar juramenti, quando deliberatè pronuntiantur. Similis quæstio fieri potest de simplici interpositione fidei, seu attestacione, quam aliquando præstant Clerici v. g. *sub fide Sacerdotalis dignitatis,* vulgò: *bey mein geistl. Ehren/ Weyhung/ oder Würden;* vel Principes, ac personæ illustres sub interpositione suæ illustis dignitatis: *bey meinen Adelichen Ehren/ trauen/ und glauben/* an habeant rationem veri juramenti; an tantum effectum ex usu recepto in ordine ad obligationem?

2029. Has *interpositiones fidei* non esse ve-

ra juramenta diximus supr. cum in illis nulla interveniat divini nominis invocatio; nihilominus in foro externo Ecclesiastico, solent accipi & observari tanquam jurata promissio, vel attestatio; sic in *c. ad aures. 3. de his, quæ vi,* dicitur, eum, qui terrore laicorum, electioni de se factæ renuntiavit, nihilominus regimini, ad quod electus erat, præfici posse, *nisi forte juramento, vel fide interpositâ confirmata sit;* ex qua resolutione notatur, quod promissio *sub fide* idem operetur, quod juramentum quoad observantiam; *Surd. decis. 235. num. 1.* eadem enim pœnâ puniatur frangens *fidem,* qua puniretur frangens *juramentum,* ut per *Perez l. 1. gloss. 1. pag. 186. col. 1. vers. queri solet, tit. 6. l. 8. Ordin. Mendocam disputationibus suis, lib. 1. c. 6. n. 10.* & fides data, per conjunctionem dexteræ, habetur loco juramenti; *Surd. decis. 234. n. 6.* hinc etiam in *c. Pervenit. 2. de Fidejussor.* mandat Pontifex, *Clericos ab officio, & beneficio suspendi, si religionem fidei, & juramenti sui eos violasse constiterit.* Cæterum, ubi, de jure *juramentum* exigitur, non satisfit solâ interpositione fidei, seclusâ in tali casu exemptione.

2030. Quæstio ulterior est, an juramentum *fidelitatis* sit verum juramentum? quale præstant Vasalli Domino directo in investitura? & vocatur *juramentum Clientelare* [vulgo *Lebens- Pflcht*] vel *Officiales,* aut *Præsides* ratione officii, vel administrationis [vulgo *die Amts oder Dienst- Pflcht*] præstant Imperatori, Regi, Curia; vel sub *ditione subjectionis* [vulgo *die Lands- Huldigung*] in fidelitatem, & obedientiam promittunt; de quibus *Layman l. 4. Summe, tr. 9. c. 5. n. 3. Homagiam,* seu juramentum fidelitatis, quod præstant Vasalli domino feudi, esse verum juramentum, colligitur ex *c. Gravem. 15. de excessib. Prælat.* ubi perpetuò deponendus dicitur, quicumque contra *fidem homagii* semel, & secundo præstiti, & debitam reverentiam, Episcopum suum esse dominum negasset: vel in foro seculari deposuisse econtra eum, super rebus spiritualibus quæstionem: aut

aut tam inuasoribus Episcopi, & feriorum ejus, quàm fratri ejus, vel complicibus suis causam, vel consilium præbuisse, de quo textus inquit: *ipsum tanquam membrum putridum ab Ambianensi Ecclesia perpetuò abscindatis*, beneficia sua facientes personis idoneis, per illos, ad quos donatio pertinet, assignari; eadem ratio est de reliquis; cum & domini officiales pro securitate rerum, quas eis committunt; & Principes, cum suscipiunt Regimen, à subditis ejusmodi fidelitatis juramenta recipiant contractu utrinque oneroso; quare non sufficit sola fidei interpositio; hæc enim non facit, quòd verè juretur; sed tantum denotat significari fidem, seu veracitatem hominis honesti; ut colligitur ex *c. penult. b. t.* ubi habetur, quòd Clericus, qui juravit, se statuta in Ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum, statutum, quòd postea subsecutum est, fideliter observare: licet transgredi non debuerat, quòd promissit, non teneatur ad illius observantiam, vi juramenti. Cur hoc? nempe, quia promittere per juramentum prius præstitum, aliud non est, quàm promittere se eadem fidelitate observaturum promissionem, qua est observaturus rem juratam; ergo promittere, vel asserere aliquid per fidem suam non est iurare.

§. 3.

An juramenta, jure nulla, indigeant relaxatione?

2031.

ANte resolut. not. 1. quòd iuramentum, adiectum contractui, sequatur naturam eius; nec aliud illi superaddat, quàm obligationem ex religione; nec ad plus obliget, quàm ipse contractus; nec contineat renuntiationem beneficii à iure concessi. Ratio primi est, quia, ut communis habet, cadente principali, cadit pariter innixum illi accessorium, ut amplius exponemus in seqq. ratio secundæ, quia nulla virtus obligat alio titulo, quàm eo, quo præcipere, vel prohibere potest; charitas enim visua non inducit obligationem iustitiæ; nec econ-

tra: ratio tertiæ; quia, ut supponitur, contractui non additur super alia re præstanda, vel omittenda, quàm super qua contrahitur.

Not. 2. etsi in communi usum receptum sit hoc brocardicum, *quòd accessorium* 2032. (consequenter etiam iuramentum, contractui accessorium) *sequatur naturam principalis*; in expositione tamen eius non omnes convenire. Quidam enim censent, quòd, si principale [contractus v. g.] sit irritum, vel infirmum, etiam accessorium tale sit; alii volunt, quòd accessorium solum sequatur naturam principalis hoc sensu, ut recipiat easdem conditiones tacitas, quas contractus ex iure, consuetudine, vel intentione Legislatoris; ita Lessius *l. 2. de iust. c. 42. dub. 6. à. n. 32.* loquens de iuramento contractui accessorio.

Alii distinguunt in accessorio iuramento v. g. *sensum, & obligationem*; quòd aliud sit, *quid iuretur?* & hoc pertinet ad *sensum, atque ad materiam* accessorii: aliud, *quomodo, vel in vi cuius virtutis* accessorium iuramentum obliget? & hoc pertinet ad *obligationem, seu effectum, & efficaciam* accessorii. In primo [nimirum quoad *sensum, seu materiã*] omnino iuramentum sequitur naturam principalis; hoc est, non extenditur, ad aliam, vel ultra materiam, quàm supra quam cadat contractus, vel promissio, cui adicitur; unde in hoc sensu iuramentum contractui accessorium, sequitur naturam principalis quoad conditiones eius; ut tradit Suarez apud Haunold. *tom. 5. tr. 4. n. 355.* Ex hoc fit, quòd iuramentum sponsalibus de futuro appositum non obliget in casu, quo unus sponzorum labitur v. g. cum alio in vitiũ carnis, vel alias notabiliter mutatur quoad statum, bona corporis, & fortunæ; nam istum sensum habet contractus sponsalium, consequenter & iuramentum illis accessorium; nisi iurans excludat positivè conditionem in iuramento, quæ tacite inest contractui.

Difficultas est de *obligatione*, quæ pendet ex valore, nullitate, vel infirmitate actus, seu contractus, cui iuramentum adicitur; & in hoc sensu dicunt, quòd iuramentum accessorium contractui v. g. non

non sequatur illum, ut, si ipse irritus, aut infirmus est, tale etiam sit iuramentum; unde Haunoldus *cit. n. 856.* censet iuramentum *quoad valorem* non esse alligatum obligationi principalis, seu contractus; consequenter esto contractus jure nullus sit, nec obligationem pariat; non propterea etiam iuramentum jure nullum esse, nec obligationem parere. Rationem dat ex eo, quia aliquando contractus est revocabilis v. g. per metum iniustum extortus, & tamen, si addatur iuramentum, fit irrevocabilis; item multi contractus secluso iuramento essent invalidi, accedente iuramento validantur, in mea, inquit, & communiori sententia; imò aliquando promissio manet invalida, & tamen obligatio ex iuramento subsistit, ut in promissione usurarum. Sed ad hoc responderi posset, datas instantias non esse de iuramento *accessorio*, sed per se *stante*, ut alii communiter exponunt.

2035.

Non est dubium, quando contractus, vel promissio est de re illicita, consequenter nulla, etiam iuramentum in idem, sive accessorium, sive per se stans, esse nullum; 2. quando contractus est sub conditione suspensiva, etiam iuramentum illi accessorium in idem esse sub conditione suspensiva, consequenter nullam esse obligationem præstandi rem, super qua contractus & iuramentum est, ante conditionis eventum; ex his autem, & similibus, videtur etiam dicendum iuramentum, contractui accessorium, esse irritum, vel infirmum, quando contractus, cui accedit, irritus est, & infirmus; ratio primi videtur ex eo, quia quod non est, firmitatem ab alio accedente non potest accipere; qualiter confirmatio in forma communi, relinquit actum, cui accedit, prout eum invenit; ergo si iuramentum invenit contractum jure nullum, in vi contractus, nequit ei adjicere firmitatem in vi iuramenti; ratio secundi est, quia quando contractus tenet mero jure, sed rescindibiliter, consequenter non firmiter; id, quod ei purè innititur, non addit ei novum robur, seu firmitatem; ergo si iuramentum sit merè accessorium contractui, qui tenet mero

Tom. II.

jure, sed rescindibiliter, non addit ei novum robur, seu firmitatem.

Ant. probatur, quia si iuramentum v. g. quod alicui infirmo purè innititur, illi adderet novum robur, seu firmitatem, esset vinculum religionis *absolutè*, ac *irrescindibiliter*; hoc autem non præstat; quia si sit alteri purè accessorium, seu alteri purè innititur, non potest adjicere vinculum religionis *absolutè*, ac *irrescindibiliter*, nisi cadat vel in novam materiam, & alio sensu; vel sine dependentia à contractu iuretur; at primum non admittit Haunoldus, ut constat ex *n. 2034.* secundum autem est contra suppositum, quod alteri purè innitatur; hoc enim sonat dependentiam ab altero, tanquam fundamento; ergo; ex quo etiam habetur probatio *conseq. prioris.* Ad instantias Haunoldi responderi potest, contractum revocabilem, per iuramentum merè accessorium, non evadere irrevocabilem; sed tantum, quando iuramentum est per se stans; hoc est, quando juratur idem, quod contractum, vel promissum est; sed sine ordine ad vim & obligationem contractus, vel promissionis; secus enim est merè accessorium; id, quod maxime pendet ab intentione jurantis.

2036.

Quis enim nesciat, promittentem aliquid, & idem etiam jurantem, posse iuramentum hoc facere, vel animo se ligandi saltem vinculo religionis, esto promissio non valeret in vi promissionis, quando est de re licita; vel solum se ligandi vinculo religionis ex suppositione, quod teneat promissio in vi promissionis; quo casu, si res jurata licita foret, iuramentum primo modo editum foret per se stans, ac absolutum; & iurans maneret obligatus in vi religionis, & iuramenti, esto non foret obligatus in vi iustitiæ, & contractus; in secundo autem iuramentum foret merè accessorium, & saltem tacite conditionatum; & iurans non maneret obligatus in vi religionis & iuramenti, si non staret obligatio contractus, vel promissionis in vi iustitiæ, seu contractus, seu promissionis; unde & illud, quod iuramentum semper servandum sit, quoties servari potest sine dispendio salutis, alii exponunt de iuramento valido, &

2037.

Xxx

per

per se stante; non autem mere accessorio; quò facit *c. Verum 15. h. t.* de quo infra.

2038.

Hinc si promissio metu gravi, ac iniuste incusso directè ad illam extorquentiam fieret etiam accedente juramento, primo modo; etiam revocato seu rescisso contractu teneret vinculum religionis, si juramentum primo modo editum foret; non, si secundo. Quod autem cit. n. 2033. dicitur, quòd contractus, secluso juramento invalidus, accedente juramento validetur, ut nimirum hoc casu obliget etiam in vim contractus, & iustitiæ, negavimus *l. 1. tit. 35. & l. 3. tit. 13.* his præmissis:

2039.

Ad quæstionem in titulo propositam de juramenta, ipso jure nulla, non indigere relaxatione, ablativâ vinculi, seu obligationis ex vi juramenti; quia non entis non est effectus; quia tamen plura hoc titulo juramenta sunt, de quibus agitur, an relaxatione egeant, si non ablativâ vinculi, saltem declarativa nullitatis in dubio, de his breviter dicemus; & primò, ubi juramentum est de re illicita, & contra bonos mores naturales, ipsum esse nullum, ac exinde nullam nasci obligationem, constat *ex n. 2016.*

2040.

Primum autem juramentum, de quo, num indigeat relaxatione? dubitatum fuit, habetur in *c. Ex administrationis. 1. h. t.* ubi quæsitum erat, an juramentum, quò Creditores obstringunt suos Debitores ad solvendas usuras, egeat relaxatione? & Gregorius III. mandavit, ut Creditores ad juramenta super usuris solvendis, à Debitoribus præstata, istis relaxanda severitate Ecclesiastica compellantur. Pro intelligentia hujus, & *c. Debitores. 6. h. t. not. 1.* in isto *c. 6.* haberi rescriptum Alexandri III. ad Episcopum Vigoriensem, ubi, *Debitores*, inquit, *ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent: Si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt, Domino reddere juramentum;* & cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi. Ex hoc enim textu videntur debitoribus obligari ad solvendas usuras, si earum solutionem jurârunt; licet Creditores eas recipere nõ possint sine peccato.

Not. 2. si quis etiam juratò promisit, se solviturum usuras, debitorem *ex iustitia* non obligari ad eas solvendas; cum

contractus usurarius jure divino, & naturali, nullus sit; teneri tamè ad momentaneam earum solutionem *ex vi juramenti*, ut dicitur in *c. Debitores, ibi: cogendi sunt Domino reddere juramentum*, ubi advertebatur Domino, nimirum Deo, comparatione cujus contraxerunt obligationem, verificandi promissum ipsis ex parte sua non illicitum; quo inferitur, per illud juramentum obligationem acquiri Deo, non Usurario, ut rectè notat Covarr. in *c. quamvis pactum. p. 2. §. 3. n. 2. vers. primò ex hoc intellectu*, Suar. *tom. 2. de Rel. tr. 2. de juram. l. 2. c. 27. in fine.* Molin. *de just. tr. 2. D. 190. col. 2. & 3. & D. 515. col. 4. & utrum autè, Less. eod. tract. l. 2. c. 17. d. 6. n. 51.* Sanchez in *præcepta Decal. c. 11. l. 3. n. 7. cum seqq.* Hinc

Not. 3. aliquos asserere, ex juramento

solvendi usuras, duplicem nasci obligationem, unam *expressam* factam homini; verum ex hac parte juramentum, turpiter extortum, non obligat; homo enim nullum jus per iniustitiam acquirat, saltem firmum: *alteram* Deo, qui in testem invocatur, atque ita tenetur jurans Deo servare, quòd per nomen suum promisit, si licitum sit; ita Sanchez *de matrimonio, l. 1. D. 32. n. 1. in fine*; quòd tamen videtur intelligendum de juramento *per se stante*; non autem mere accessorio, ut notavimus à n. 2034.

Ex hoc not. 4. Debitorem usurarium,

ex promissione etiam jurata solvendi usuras, nullam obligationem habere respectu Usurarii; *non iustitiæ*; nam talis promissio ipso jure nulla est; *non juramenti*; nam istam, relatè ad usurarium, non contraxit, ut diximus præced. numero; licet juramentum esset *per se stans*; & ratio est, quia Usurarius ex iustitia tenetur eas non accipere, cum sine justa causa pecuniam sibi aliàs indebitam acciperet, contra *c. si res aliena. 14. q. 6.* ergo Debitor *ipsi* obligari non potest; unde, si dicas: *ergo si debitor non solveret usuras, juramento promissas, non esset perjurus.* R. cum dist. ergo non esset perjurus violando aliquam obligationem ex juramento contractam, quâ teneatur *usurario*; C. qua teneatur, Deo N. illatū.

Sf

2044.

Si infes: ergo nec tenebitur ex aliqua obligatione, qua, vi dati juramenti, *teneatur Deo*, ut homini promissario solvat usuras. *sz. N. illatum*; pro quo not. 5. non esse illicitum, facere actum dese non malum, seu licitum, etiamsi alter eo sit abufurus ad peccatum, si poterat *liberè non uti tali actu*, quando actus fit ex justa causa, v. g. ad redimendam vexam, & molestias cæteroquin subeundas in jactura famæ, honoris, datæ fidei, &c. aliàs nec Deus licitè liberæ hominum voluntati offerret usum suæ omnipotentia, ad exercitium creatæ libertatis, si homo esset abufurus ad peccatum.

2045.

Not. 6. offerre solutionem usuræ, jurato promissæ, ad redimendam vexam, quam cæteroquin ab Usurariis communiter patiuntur Mutuatarii debitores, de se præcisè, non esse malum, vel illicitum; constat 1. quia aliàs Ecclesia præcipiens, servari tale juramentum, præciperet illicitum; 2. quia usurarius potest liberè non acceptare talem solutionem, imò, ut dictum est, tenetur non acceptare, consequenter potest ea, quantum est ex parte debitoris, esse sine peccato Creditoris; adeoque nec eo titulo, quod Creditori cooperetur ad peccatum, esse illicita, & mala; ergo bene potest obligari Deo ad eam solutionem faciendam; quia ex parte solventis non continetur turpitudinem; sed tantum ex parte liberè recipientis, qui potest non committere turpitudinem, remittendo solutionem, prout debet.

2046.

Dices: ex hoc sequitur contra *c. 1. h. t.* non esse opus ulla relaxatione juramenti; Resp. solum sequi, quod non sit opus relaxatione juramenti quoad obligationem exinde natam *Usurario*; secus, quoad obligationem exinde natam *Deo*, ut diximus *num. 2043.* unde, quando in *c. 1.* dicitur, Creditores Usurarios esse cogendos *ad relaxanda juramenta super usuris solvendis præstita*, solum intenditur, esse cogendos, ne solutionem exigant etiam *facto* (jure enim non possunt) sed se declarent, se nolle talem solutionem indebitam, quam ipsi sine peccato recipere non possunt; sic enim in

Tom. II.

directè tollitur obligatio ex juramento nata Deo; qualiter diximus a sponsis indirectè posse tolli juramentum sponsalibus de futuro appositum, solutis nimirum consensu mutuo sponsalibus.

2047.

Cum autem à debitore solutionem factam recipit Usurarius, licitum erit debitori solutum repetere conditione sine causa, sic Lara in *L. si quis à Liberis, §. parens, ff. de Libert. agnosc.* & constat ex textu in *c. Debitores, de quo n. 2040.* recipiendo enim usuras Usurarius, jure Divino, & humano indebitas, committit injustitiam, & retinet injustè alienum, nullo nimirum justo titulo ejus dominio in eum translato; cum *ipfi* nec ex contractu, nec etiam ex juramento, nata sit obligatio, aut titulus validus jure idoneus ad ejusmodi translationem.

2048.

Advertendum præterea, quod, si Creditor in tali casu juramentum remittere nolit, Judex eum cogere possit ad relaxandum, vel eò renitente, ipsemetilius Magistratus relaxationem facere; quia in hoc casu factum Judicis supplet factum partis; Sicuti in simili docent DD. *L. si ob causam, C. de evict.* quare etiam Magistratus secularis relaxationem facere potest, si promissio, vel contractus ad forum ejus pertineat, & constet de obligatione recipientis, quod turpiter juramentum receperit, & ille ad ejus remissionem obligetur, ut docet Abbas in *c. pervenit, 2. h. t. n. 3.* Sanch. *l. 3. Moral. c. 22. n. 16.* Molin. *tr. 2. d. 149. n. 12.* quibus præfatis:

Dubium. I.

An juramentum metu extortum indigeat relaxatione?

2049.

Quæstio procedit in casu, quo juratum est non dere illicita; de hoc casu agit Gregorius Pontifex, ut habetur *c. pervenit. 2. h. t.* ubi dicit, pervenisse ad se Laudicensem Episcopum, ab Archiepiscopo Comite rebus suis spoliatum, & jurare compulsus, quod non repeteret sic ablata; & ad quæstionem, *an dictus Episcopus, in hoc casu, ex juramento contracterit obligationem?* respondit: cognita

Xxx 2

igitur

igitur contumeliâ, valde doluimus: *asserentes, ipsum Episcopum nullius juramenti vinculis super hoc posse constringi: quem tamen absolvimus; quia nefandâ coactione juravit.* Not. autem jurare coactum de non repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quibus spoliatus fuerat, ut notat Vivianus in *Rational. l. 2. juris Pontificii, pag. 211.* Alagonain *Compend. juris Can. p. 289.* & alii.

Nascitur autem ex hoc textu præfens difficultas, quòd, ut observat Barbosa in dictum *c. pervenit, n. 4.* Gregorius Pontifex non videatur stabilis propterea, quòd primo loco neget, Laudicensem Episcopum *juramento teneri*, aut obligationem contraxisse ex illo juramento coacto; deinde autem sentire videatur, *eum teneri*, & obligationem contraxisse, cum ipsum *absolverit*; nam aliàs non fuisset necessaria absolutio, juxta *c. ad dissolvendum, de despons. impub. & L. decem. ff. de V. O.* Sed ad hoc dicemus in seqq. Interim:

2050. Dicendum videtur, juramentum coactum, coactione scilicet solum conditionali, seu per metum gravem, & injustum, directè incussum ad extorquendum juramentum, non esse irritum jure naturali, vel etiam positivo; sed solum irritabile, quoties semel validum, denuò relaxari potest; secus, si sit oppositum, vel extortum sit vi præcisâ. Ratio primi constat ex *dict. l. 4. decret. à n. 407.* ubi exposuimus, quid in desponsationibus, aliisque contractibus operetur metus gravis, & injustus; ratio secundi, de coactione, seu vi præcisâ, & absolutâ, constat ex *ibid. dict. à n. 389.* consequenter in hoc textu Pontificem non negâsse juramenti valorem, & inductam obligationem, ex causâ coactionis.

2051. Dicendum 2. in isto textu juramentum, in quantum erat in præjudicium Ecclesiæ Laudicensis, eo titulo fuisse nullum, consequenter non obligatorium; quia sic erat de re illicita, nempe de non revocandis rebus suæ Ecclesiæ, ad quod tamen juramento tenetur Episcopus, quoties in earum alienationem illicitè consentit; quia tamen

Ecclesiam spoliari rebus suis considerari potest dupliciter, nimirum. 1. in quantum ea rerum spoliatio præjudicat ipsi Ecclesiæ; 2. in quantum respicit commoditatem, & utilitatem ipsius Prælati, jure permittente transferibilem in alium; ideo censent aliqui, dictum juramentum, in quantum includit præjudicium Ecclesiæ, non valere; quia sic esset de re illicita; in quantum autem præjudicat soli Prælati, valere; quia, quod attinet ad solius ipsius præjudicium, absque ullo salutis æternæ dispendio licitè servari potest; ergo merito hic textus ad finem adjecit verba illa, *quem tamen absolvimus, quia nefandissimâ coactione juravit*, ut ita sit sensus, quòd, licet eo casu juramentum servari debuisset in solius Prælati præjudicium, quia tamen nefandissimâ coactione intervenit ex parte Comitis, justè eundem Episcopum duximus absolvendum, juxta *reg. c. Si verò, h. t.*

Et in hoc sensu censent accipiendum hunc textum, uti & alterum in *c. cum venissent. 6. de institut.* ut juramentum valeat in solius Archidiaconi præjudicium; consonant verba præcedentia, ibi: *non solum de illo, sed de omnibus rebus suis*, &c. quasi juramentum subsecutum solum ad propriam commoditatem respexerit; & ita intelligunt glossa, ibi, *V. abjurâsse*, & Abbas *à n. 14.* idem Abbas *n. 4.* & Felin. *5. in præfenti.* Hæc quidem rectè dici videntur, sed pro eo solum casu, quo præjudicium Prælati consistere potest, salvo jure, ac indemnitate Ecclesiæ; si enim præjudicium Prælati separari non posset à præjudicio Ecclesiæ, juramentum simpliciter irritum esset; sic enim ex inseparabili præjudicio Ecclesiæ servari non posset sine peccato.

Nec in isto casu (quo juramentum penitus irritum fuisset, etiam quoad præjudicium Prælati inseparabile à præjudicio Ecclesiæ) fuisset propterea quædam contrarietas in dictis Gregorii (de qua dictum est *n. 2049.*) 1. quia plures censent, *absolutionem* illam solum fuisse *ad cautelam*, qualiter id sæpius contingit in absolutionibus à Censuris; 2. quia dici potest, eo casu *absolutionem non fuisse*

fuisse liberativam à vinculo, cum nulum contractum esse dicat ipse textus; sed tantum declarativam non contractæ obligationis; qualiter sæpe contingit etiam in judiciis forensibus, ubi Reus, conventus ab Actore super solutione debiti, absolvitur, non liberatione vinculi contracti; sed declaratione non contracti.

2053. Dubitari autem potest, à quo peti debeat relaxatio juramenti in casu proposito, quod est in præjudicium Prælati, separabile tamen à præjudicio Ecclesiæ? Resp. posse illud relaxari à Summo Pontifice, 1. si Episcopus, jurare coactus, apud Pontificem agat de injuria sibi illata per injustam coactionem, à dicto Archiepiscopo illatam, imponendo illi, ut nullatenus Episcopum à recuperatione rerum spolio sublatarum impediatur, sed eum indemnem omnino reddat, reponendo in statum, quo fuit ante contractum; aliàs enim non refarcitur ei damnum injustè illatum; 2. si spoliator res spoliatas possideret, agendo contra illum ex interdicto unde vi; & si opponeret juramentum de rebus illis non repetendis, cum certum, ac manifestum foret, juramentum esse injustè coactum, nihilominus per sententiam esse ante omnia restituendam ex petitione sua privilegiata; quia spoliatori ex eo juramento nullum jus acquisitum est, quod non teneatur statim remittere, etiam ante omnem Judicis sententiam, justitià naturali hoc exigente propter actionem injustè læsivam iuris alieni.

Dubium II.

An indigeat relaxatione juramenti, commutans illud in melius? vel, parte non servante, quod juravit recipere?

2054. Duplex iste casus proponitur in c. pervenit. 3. h. t. uterque propositus Gregorio VII. Pontifici, à Philippo I. Rege Galliarum. Primus erat, an, si quis rei, quam promisit iuratus, aliam meliorem substituat, propositum, seu promissum juratum infringat? & ad hoc

respondit Pontifex, quod promissum non infringat, qui in melius illud commutat; ratio est, quia sicut Creditori melius satisfactum dicimus, si integrum illi debitum persolvatur, L. planè. 3. ubi Gothofr. ff. famil. ercisc. junctis traditis à Morla in empor. tit. 8. q. 8. aut si in magis pretiosa moneta illi solutio fiat, juxta ea, quæ resolvit Gregorius Lopez in L. 3. gloss. 2. tit. 14. p. 5. sic & Deo satisfactum melius dicimus, quando, quod illi pro anima, & peccatorum redemptione, offerimus, in meliori opere persolvimus.

2055. Huic quæstioni volunt aliqui datam esse occasionem exinde, quod dictus Rex Franciæ cuidam Baroni, interposito Sacramento, castra promiserit sub fidelitatis lege, eaque non servatâ, donaverit eadem castra Ecclesiæ, & ideo Pontifex rescripserit, Regem potuisse in melius jusiurandum commutare, donando Ecclesiæ sine iniuria Baronis, qui fidelitatis legem ruperat; sed, hunc casum fuisse propositum, rectius negant alii cum Gonzalez in dict. c. 3. n. 1. si enim Baro legem fidelitatis juratæ non servavit, non manfit ei Rex obligatus, ad relinquenda illi castra; sed poterat cuivis alteri donare; consequenter materia sub obligatione posita, sublata obligatione, in aliam etiam meliorem commutari non potuit sub dicta obligatione, jam extinctâ. Rectius ergo dicitur, casum fuisse propositum vel solum generaliter, an liceat materiam juratam commutare in melius? vel in alio casu speciali, ubi obligatio iuramenti non erat extincta.

2056. Ex hoc deducitur, quod periurii reus non sit, qui iusiurandum propriâ auctoritate commutat in melius, per Valer. Reginald. in praxi fori penit. l. 18. n. 67. Azor. instit. moral. part. 1. l. 11. c. 10. q. 1. ubi hoc intelligit de eo, qui iusiurandum mutat in id, quod est certo, & evidenter maius bonum; nam eo ipso est Deo magis acceptum, & gratum. Videtur tamen in hoc distinguendum inter promissionem iuratam homini factam; & eam, quæ facta est Deo. Nam textus videtur hic potius intelligendus de voto, seu

promissione homini facta; quia, ut notat Sanchez *c. 1. matr. D. 46. n. 11.* Deus non acceptat, quod fit in præjudicium *juris tertii*, sine hujus consensu, saltem tacito. Unde quando dicitur *L. 2. §. mutui datio. ff. de rebus credit. invito Creditore aliud pro alio solvi non posse*, procedit in temporalibus, non in spiritualibus, & rebus Ecclesiasticis, ubi spectatur summa rei æquitas, contenta cum ea satisfactione, quam Fideles præstare possunt.

2057.

Alter casus fuit, an juramentum violent, vel relaxatione indigeat, qui, quod jurato alteri promisit sub reciproca obligatione juratâ, non implet, promissario repromissionem non servante? Ad hoc eadem Regi respondit Pontifex: *nec tui, etiamsi scriptum promissum tuum juramento, vel fidei obligatione, interpositâ conditione firmâsses, aliquatenus teneris, si constet eum conditioni minimè paruisse.* Hinc universim, quando juramentum factum est in favorem tertii cum aliqua conditione, nisi illa adimpleatur, jurans ad iuramentum servandum non obligatur, ut per Sayr. *in Clavi Regia, l. 5. c. 7. n. 5.* Valer. Reginald. *cit. l. 18. n. 54. ubi num. 34. vers. Secunda*, resolvit, quòd in jure jurando intelligatur, si alter, cui juratum est, ac si vicissim iuravit, ex sua parte fidem servaverit; quia conditio adjecta suspendit dispositionem in futurum eventum, gloss. *in rub. vers. est autem conditio. ff. de condit. & demonstr.*

Si dicas: in voto continentiae ab utroque coniuge emissio etiam cum mutuo utriusque consensu, altero non implente, alter nihilominus tenetur ex voto, ut tradit Sotus *l. 7. de just. q. 3. a. 1.* dicens esse speciale in hoc voto; videturque desumi ex *33. q. 5. c. Quod Deo. 4.* ibi: *quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis. A quo proposito, si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera. Quod te non exhortarer, nisi tibi ad hoc ipse consenserat. Nam si unquam renuisses ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum.* Aliter respondet Barbosa in *c. Pervenit. 3. b. t. n. 3.* dicens, regulam: *(frangenti fidem, impunè non servari fi-*

dem) solum habere locum respectu tertii, & ejusdem dispositionis; non autem respectu diversarum; quia in diversa & separata diriguntur; cum ergo in eo textu non unicum votum continentiae, sed duo fuerint emissa, & unusquisque principaliter teneatur ex suo voto ad continentiae observantiam, merito obligatur, licet alius labatur.

Huic tamen opponi posset, etiam in casu, quo quis iuravit, aliquid se datum alteri sub certa conditione, sub juramento implenda à promissario, esse duo juramenta, seu promissiones juratas; & tamen promissario non implente, etiam promittentem à promissione liberari, ex *n. 2057.* videtur igitur rectius dici, in dato casu fuisse votum cujuslibet absolutum, & independentem ab eo, quòd alter impleat, Deo factum; id verò, quòd tradidimus ex dicto *c. 3. b. t.* procedere solum, quando unum saltem tacite conditionatum est, ac implicat implementum reciprocum in eo, quòd vicissim juratum est; præterquam, quòd textus allatus ex *c. Quod Deo*, non habeat vim canonis; cum sit solum S. Augustini Ecditiam hortantis, ut, quòd ipsa, & Vir eius, de mutuo consensu voverant, esto lapsus sit ille, saltem ipsa constantissime perseveret.

Dubium III.

An juramentum non repetendi pignus ante debitum solutum, egeat relaxatione?

Publius quibusdam pecuniam mutuo dedit, possessionibus, ac creditibus eorum in pignus receptis, atque insuper juramento obstrinxit debitores, quòd super his pignoribus, donec debitum solutum sit, nullum ipsis gravamen inferre velint: Sed Archiepiscopus Creditorem illum idcirco excommunicavit, licet ex pignoribus, nondum sortem integram, deductis expensis percepisset, atque paratus fuisset, si integram perciperet, quòd vellet esse contentus. Hoc intellecto Alexander III. rescriptit, ut idem Creditor, recepta prius

pritis cautione sufficiente, absolvatur a censura; dein debitores, qui possessiones oppignoratas subtraxerunt, per censuram compellantur eas restituere, nullamque Creditori super iis molestiam inferre, donec pecunia, mutuo accepta, ipsi soluta sit; postquam verò pecuniam, juxta iuramentum suum, solverunt, tunc Creditorem compellant ad restituendum, quidquid ultra sortem ipsum recepisse constiterit; quod si admonitus non paruerit, in eandem excommunicationis censuram, à qua absolutus erat, reducatur; sic habetur in *c. Ad nostram. 7. b. t.* Ex hoc textu deducitur, quod valeat iuramentum Debitoris, Creditori factum, se super pignore propter perceptos exinde fructus, nullam ei molestiam illaturum, donec pecunia ex mutuo debita illi, vel fors ex fructibus ultra censum debitum perceptis, sit exsoluta; nam hoc iuramentum nullam ex parte iurantis, & rei promissæ continet turpitudinem; & impleri potest absque peccato, consequenter tenet, & ob reverentiam divini Numinis servari debet.

1060. Dixi, donec fors ex fructibus, ultra censum debitum perceptis, exsoluta sit; nam si forte iam exsoluta debitor adhuc deberet redimere pignus pecuniaria solutione sortis, debitor ex vi mutui reciperet aliquid ultra sortem, imò non existente debito sortis, quæ ponitur extincta; ex quibus primum usurarium est; secundum, injustum, quia contineret exactiorem debiti, carentis omni titulo; si dicas: debitum solvendi pecuniam, mutuo acceptam, etiamsi fors exsoluta sit ex redundantia fructuum perceptorum ultra censum, ex conventionem debitum, fundari in pacto iurato: Resp. fundari quidem in pacto, sed aperte usurario, ut ostensum est. Sed hoc non obstante dicendum adhuc valere iuramentum, in quantum ex illo debitores obligantur Deo; cum ex parte iurantium debitorum absque peccato servari possit; qualiter diximus servandum iuramentum de solvendis Usuris; & sic videtur statui in dicto *c. ad nostram*, prout colligi videtur ex illis verbis: *cum autem ei pecuniam, sicut juraverunt, persolverint: vos*

ipsum ad restituendum, quidquid (deductis expensis) ultra sortem recepisse constiterit, inducere studeatis: & si communitus non fecerit, in eandem excommunicationis sententiam reducatis eundem. Ex hoc sequitur, quod, si debitores ante solutam pecuniam, ex mutuo debitam, etiamsi Creditor ultra censum debitum ex fructibus tantum percepisset, quo in sortem computato etiam hæc adæquaretur, vel eam excederet, vellet à Creditore pignus recipere, egeret prius relaxatione iuramenti.

2051. Sed dices. 1. Fructus percepti ex pignore computantur in sortem, seu debitum; & si sint sufficientes ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus. Si itaque contra debitorem, seu mutuatarium post sortem integrè ex fructibus perceptam nulla actio competit, sequitur quod nulla eidem in solutio obligatio, quoniam actio & obligatio correlata sunt, ut colligitur ex *L. 1. C. de pignoratit. action. R.* cum distinctione: fructus percepti ex pignore computantur in sortem, seu debitum; & si sint sufficientes ad totum debitum, extinguitur actio, & redditur pignus, si debitor huic juri non renuntiavit, *C. secus, N.* antecedens; & sub data distinctione consequens. Debitor autem iuramento se obligando, quod esto per fructus perceptos etiam fors compensata foret, nolit molestare Creditorem repetendo pignus, antequam pecuniam ex mutuo acceptam solvat, eo ipso renuntiavit juri suo, ceteroquin sibi ex tali casu competenti; ergo.

2062. Dices. 2. *Compensatio species solutionis est, L. si te. 4. §. solvisses. ff. de re judicata, & L. 76. ff. de V. S.* ubi dicitur: *dedisse etiam eum, intelligendum esse, qui compensavit;* si ergo ex mutuo debeam tibi mille, tu autem ex fructibus pignoris mei tantundem lucratus es, compensatione facta solvisses censendus sum, & iuramento satisfecisses. Resp. totum verum esse, quod dicitur, si debitor non renuntiavit juri, quod habet, ut compensatione solvat; contrarium autem est in præsentis casu, ut ostendimus præcedentem. Ergo. Et ratio est, quia, qui jura-

vit verè solvere, non poterit unquam compensationem objicere; quia propter dictionem, *verè*, videtur exclusa compensatio, quæ ficta solutio est, ut per Tiraq. de retractu lig. §. 3. gloss. 3. n. 6. Donel. comment. juris civilis, ad L. ne creditores, 10. num. 3. C. de pignorat. act.

Dubium IV.

Ad juramentum, metu extortum, non repetendi restitutionem beneficii, cui renuntiare quis coactus est, indigeat relaxatione?

2063. **C**asus est iste: Titius, Cajum gravi metu incusso compulit ad renuntiandum sibi beneficium cum juramento: cum autem Archiepiscopus Senonensis dubitaret, uter eorum beneficium habere debeat? ut habetur in c. si verò. 8. b. t. respondit Alexander III. quòd non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae: nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur; verum, aliquando in Romana Ecclesia à pluribus prædecessoribus nostris factum esse recolitur, quòd Clerici, qui coacti Ministerium Ecclesiae abjurârunt, & ad coërcendam iniquitatem eorum, qui missi sunt, in eadem Ecclesia ministrare.

2064. Ex hoc textu sequitur. 1. ex communi Doctorum sensu, juramentum, rei licitæ metu extortum obligare, donec relaxetur; sic Covarr. de sponsal. p. 2. c. 1. §. 5. num. 2. Suarez tom. 2. de relig. tract. de juram. l. 2. c. 9. n. 3. & l. 3. c. 16. n. 18. Sanchez de matr. l. 1. D. 32. n. 1. & in præcepta Decalogi, tom. 1. l. 3. c. 11. n. 13. ubi nota, tametsi dicatur in textu, non esse tutum, contra juramentum venire, nisi tale sit, quòd servatum vergat in interitum salutis aeternae, non bene inferri, ergo servandum erit, etiamsi res promissa sit venialiter mala; nam hoc non vergit in interitum aeternae salutis; textus enim necessariò intelligendus venit de quovis peccato, etiam levi, contra conscientiam; cum ne quidem

ad venialiter peccandum dari possit obligatio; cum & hoc sit contra bonos mores naturales; unde quamvis in hoc textu fiat mentio salutis aeternae, non excludit tamen peccatum veniale; nam licet peccatum veniale per se, & immediatè non privet salute aeternâ, & ita non vergat directè in illius dispendium; nihilominus tamen, dum durat, impedit vitæ aeternae consecutionem, & aliquo modo reddit hominem indispotum, seu impeditum ad perfectum Dei amorem, & hoc modo potest dici: illud vergere in dispendium salutis aeternae, ut eleganter explicat Suarez l. 2. c. 15. n. 3. post alios Sayrus, l. 2. c. 13. n. 6. & ante eos D. Thom. p. 3. q. 87. a. 2. ad 3. & 12. q. 89. a. 1.

2065. Sequitur, 2. quamvis Clericus beneficium, ad cujus renuntiationem juratam alterum per gravem, & injustum metum coëgit, non possit sibi retinere (cum illud sic habeat cum ingressu non canonico; & titulo compensandi injuriam illatam alteri teneatur ipsum restituere) spoliatum tamen non posse beneficium repetere, vel etiam recipere, juramento prius non relaxato, vel per cessionem spoliatoris, qua indirectè tollitur etiam obligatio ex juramento contracta respectu Dei; vel facta per Ecclesiam, quæ in tali casu consuevit relaxare juramentum, ut hac ratione iniquitas eorum, qui Viros Ecclesiasticos ad renuntiantium compellunt, coërcetur; ita c. Si verò.

2066. Not. præterea. 1. quamvis verum sit, in utroque jure, errorem, metum, & dolum sæpius æquiparari; & juramentum ex errore præstitum non obliget, ut tradit Suarez tom. 2. de Relig. l. 2. c. 11. & alii; non tamen sequi, etiam non obligare juramentum metu præstitum. Nam illa æquiparatio metus cum errore, vel dolo, non fit in omnibus (error enim, & dolo antecedens, cum dant causam contractui bonæ fidei, tollunt consensum; non metus, ut ostendimus l. 4. tit. 1.) sed tantum quoad firmitatem contractus, vel dispositionis; non quoad obligationem.

Nor.

Dubium V.

*An juramentum, adjectum matrimonio,
metu contracto, indigeat relaxatione?*

Otto Andegavenſis per alium captus, tandiu in vinculis ferreis, & carcere detentus ab eodem fuit, donec coactus iuraverit, quod Annam mulierem duceret in Uxorem; ſed ubi vincula, & carcerem evaſit, aliam Uxorem accepit, ex qua filios procreavit: Sed Anna Otronem, coram ſedis Apoſtolicæ Legato, convenit, unde juſſus eſt iuratus promittere, quod ad ſecundam non accederet, lite pendente ſuper matrimonio cum Anna contracto. Verum, Anna interim diem ſupremum obiit; dubitatum igitur fuit, an Otto jam redire poſſit ad ſecundam, liberè ductam, non obſtante, quod vivente primâ contraxerit prius cum ſecunda, eamque cognoverit? reſpondit Alexander III. ſi conſtiterit, quod eodem Ottoni tanta vis illata fuerit, quod non ſponte in primam conſenſerit, nec poſt præſtitum juramentum ipſam carnaliter cognoverit, propter hoc non dimittendum, quin ad aliam, quam poſtea in Uxorem accepit, revertendi liberam habeat facultatem. Alioquin ſibi ne ad ſecundam revertatur ſub interminatione anathematis inhibendo, detur ei licentia ducendi aliam uxorem; ſic *c. ſignificavit, 2. de eo, qui cognovit.*

Ex hoc textu in varias opiniones diſceſſerunt Authores, quorum aliqui exiſtimant, non tantum matrimonium, ſed etiam iuramentum ſuper eo, gravi & injuſto metu extortum, eſſe validum; aliqui autem neutrum, de quibus V. Barboſ. in *dict. c. 2.* Sed, quidquid ſit de his, mihi dicendum videtur, in dato caſu & *matrimonium cum prima, & juramentum*, fuiſſe nullum, non tamen ex eadem cauſa. *Matrimonium*; propter gravem metum, cadentem in conſtantem Virum eo ſi-

Y yy

2067. Not. 2. non omne juramentum, metu extortum, eſſe contra bonos mores naturales quoad obſervantiam in eo, qui juravit; cum quis etiam metu cogi poſſit ad jurandum, quod hoc, vel illud præſtare velit, eſto non contineat materiam etiam peccati venialis; quare juramentum metu extortum ex hoc c. non eſt invalidum, quoad obligationem, ſed ſolum quoad effectum, ut ſcilicet evadatur irrevocabile, ac infirmari nequeat; ita Sanchez *l. 4. matr. D. 20. n. 5.* Suarez *cit. c. 11. & alii.* Si autem dicas, in *c. ad audientiam. 4.* de his, quæ vi dicitur: *non obſtante juramento poſſe beneficium repeti ab eo, qui per metum iuratus abjuravit beneficium; & c. 2. de eo, qui duxit.* ubi dicitur non ſolum matrimonium metu contractum non valere, ſed nec juramentum vi extortum:

2068. Reſp. quod aſſertur ex *c. Ad audientiam*, ad intentum nihil probare; nullatenus enim ex eo textu deducitur, juramentum extortum metu etiam gravifſimo, non valere; ſed tantum carere robore firmitatis. Concedo igitur Clericum illum gravifſimo tandem metu Regis coactum ad juramentum, quod Eccleſiam, quam canonicè obtinuit, & aliquamdiu pacificè poſſedit, *reſignabit*; concedo pariter, quod non obſtante juramento prædicto, potuerit eam licitè repetere; ſed unde ſequitur: ergo illud juramentum metu extortum non valebat: Si dicas: ſi valuiſſet, non potuiſſet licitè recipere; cujus contrarium habetur in textu: ſed Reſp. claram ſolutionem reddi ab Innocentio III. in dicto *c. ad audientiam*: ubi, poſtquam dixit, ſi conſtiterit de illa coactione, poſſe illum, & debere Eccleſiæ reſtitui, non obſtante juramento prædicto; quo non tenebatur *ad non repetendum beneficium*; ſed tantum *ad reſignandum*; ex hoc enim clare conſtat, eum, qui juravit, *renunciare* beneficio, factâ renuntiatione potuiſſe *repetere* beneficium; nam ad hoc juramentum illud non porrigebatur. Ad id, quod dicitur ex *c. 2. de eo, qui duxit*, conſtabit ex dubitatione ſeq.

Tom. II.

ne injustè incussum; nam hoc etiam jure naturæ irritum esse in tali casu, constat ex l. 4. à num. 434. *Juramentum*, non propter metum; sed ex eo, quòd foret de re non possibili, seu de tali contractu, qui factus etiam jure naturali nullus, & irritus est; juramento enim non efficitur validum Matrimonium metu contractum, per Sanchez l. 4. D. 20. n. 12. Unde tale juramentum adjectum matrimonio metu gravi extorto non obligat, nec indiget relaxatione, Covarr. de spons. p. 2. c. 3. §. 5. n. 3. Sanch. cit. D. 20. n. 15. Henric. l. 11. c. 9. numer. 6.

2071. Dices. 1. in casu nostro, Otto juravit, ducere Annam, & eam ducere peccatum non erat; ergo etiam hac mortuâ non poterat redire ad secundam, obstante juramento; confirmari potest ex c. inter cætera, 22. q. 4. ubi D. Augustinus ait: quòd Hubaldus, qui captus, & timore necis impulsus, suæ concubinæ juramento firmaverit, ipsam in conjugem suscipere, propriamque matrem cum fratribus de domo expellere, nihilque eis alimonix unquam impendere, cum, quam prius concubinam habuerat, non est peccatum in conjugem suscipere, matrimonium esse in Deo firmum, & stabile; Matrem autem & fratres foveat, & lugeat super facto juramento de hacre impia. Resp. dist. ant. Otto juravit ducere Annam, & eam ducere peccatum non erat, & matrimonium *validè tunc contrahi non poterat*; C. *validè contrahi poterat*, N. antecedens; quia matrimonium, gravi, & injusto metu directè incusso ad finem talis contractus, validè contrahi non poterat; hinc N. consequ. in casu autem c. inter cætera, non fuit matrimonium coactum metu *injusto*; consequenter juramentum impleri poterat, *in quantum* erat de Concubina in conjugem accipienda; quamvis, *in quantum* erat de Matre cum fratribus domo expellenda, fuerit de re illicita.

2072. Dices. 2. qui violat juramentum, metu extortum, non punitur tanquam Reus culpæ mortalis, ut dicitur

c. Veniens. 15. h. t. ibi: non ob hoc sunt pro mortali culpa puniendi; igitur juramentum metu extortum non valet, consequenter relaxatione non indiget; alias enim illi, de quibus in dict. c. 15. peccassent mortaliter, non implendo, quòd jurârunt. Resp. dato anteced. N. consequ. ad prob. Resp. aliud esse, non peccari mortaliter, violando juramentum; aliud, non puniri pœnâ culpæ mortalis; primum non dicitur in textu; sed secundum: ex hoc autem non infertur, id fieri non potuisse, nisi juramentum metu extortum ponatur *invalidum*; nam, esto juramentum valeat, & non implendo peccetur graviter; non tamen debet hæc violatio juramenti, metu extorti, tam severe puniri, ac violatio juramenti spontè facti; injustitia quippe, ac injuria, juranti per metum facta, meretur mitigationem pœnæ pro transgressione obligationis coactè impostæ.

Dubium VI.

An relaxatione indigeat juramentum Monachi, Standi apud Creditorem loco Vadis, pro debitis Monasterii?

2073. UT hoc, & similia dubia resolvantur, communis regula est: ejusmodi juramenta non esse relaxationis indiga, cum non valent, nec obligationem naturalem, seu conscientix pariunt. Nam, ubi non est vinculum, solutione opus non est; & sola declaratio nullitatis, non est propriè solutio vinculi [quomodo enim auferet, quod non est?] & solum dicitur solutio cum addito, nimirum *declarativè*, non *liberativè*. Porro pro presenti questione servit c. Exrescripto. 9. h. t. ubi est iste casus: Abbas Tremesensis cum Creditore suo super certa summa aliquot millium solidorum convenit; & insuper eidem quosdam Monachos Obsides dedit, qui de observanda conventionione juramentum præstiterunt, ut, si ipsi deficerent, alii monachi loco eorum in obstagio reverterentur: insuper, si dicti monachi fidem non servarent, Abbas dedit eidem, & uxori

& uxori ejus fidejussores, qui similiter fidem præstitisse dicuntur.

aut talem pœnam non mereantur, uti docet Molin. tract. 3. D. 120. num. 7. & D. 550. num. 5.

2074. In hoc casu dubitatum fuit, an teneret Monachorum iuramentum? nam in libero homine nec pignus, nec possessio datur, L. inter. 83. §. Sacram; L. Liber homo, ff. de V. O. & alibi; & quamvis se ipsum homo possit vendere; L. & servorum; L. homo liber. ff. de statu homin. &c. ac se ipsum in pignus dare, L. 3. §. si quis volentem, ff. de libero homine: ab alio tamen pignori subjici non potest, L. ult. §. ult. ff. de lib. homine: accedit, quod remanere apud Creditorem, præsertim Laicum, professioni Monachorum videatur repugnare: nihilominus Alexander III. Judicibus delegatis rescripsit: si ita est [nimirum, ut habet casus num. præced. propositus] tam Abbatem, & Monachos, qui juraverint, quam Creditorem, & uxorem ipsius studiosè monere curetis, ut sicut juraverint, eandem conventionem faciant adimpleri. Si vero ad admonitionem vestram facere neglexerint, eidem Abbati, & monachis ingressum Ecclesiæ interdicatis, & in terra præfati Creditoris, & uxoris ejus, usque ad dignam satisfactionem inhibeat divina officia celebrari. Valebat igitur in præsentī casu iuramentum Monachorum, & reliquorum; nec egebat relaxatione; sed inferebat necessitatem, adimplendi jurata.

2075. Pro solut. contrariorum, not. ex Gonzalez in c. Ex rescripto. 9. h. t. n. 3. Obsides tribus modis dari posse; primo autoritate publicâ in causa belli justī, & legitimi, quo casu solent pro pace, aut securitate treugæ obsides dari ex una, vel utraque parte, ut fides hinc inde promissa servetur. Isti obsides, velut servituti subjecti videntur, adeo ut testamentum sine Principis licentia permissum eis non sit, L. obsides. 11. ff. de testament. Quod, si pacta seu fœdera non servet pars ea, quæ obsides dedit, ii bonis spoliari, sed non interfici possunt, si innocentes sint,

Tom. II.

2076. Altero modo dantur obsides ab una Communitate alteri, vel ab aliquo Domino alii, profedanda discordia inter eos orta; quod obstagium minus proprium est, nec per illud status hominis liberi mutatur; quia id tantum supremus Princeps facere potest, de quibus obsidibus agitur in c. exposita, de Arbitr. c. Suppliciter. 18. 23. q. 8. tertiò dantur obsides à privato pro civili debito, & in hos jus aliquod reale, videlicet, pignoris, aut quasi servitutis, non acquiritur creditori, L. ob æs, 12. C. de actionibus. L. qui filios. 6. C. quæ res pignori; quamvis hoc postremum habeat aliquot exceptiones, ex quibus est casus gravissimæ necessitatis, v. g. famis; quo casu Pater filium pignori dare potest L. 2. C. de Patribus, qui filios distraxerunt; aut penuriæ in Monasterio aliter non relevabili, nisi Abbas Monachum pignori det, ut extra claustrum, dum solvatur debitum, detineatur, ut tradit Felinus in cit. c. Ex rescripto. 9. h. t. n. 4. quamvis aliàs in quæstione, num obses pro civili debito datus, in loco, in quo sistitur, permanere obligatus sit? communiter respondeatur negativè; sic Innocent. hic, Abbas n. 8. Imol. n. 6. Felin. n. 7. & 8. Covarr. 2. resol. c. 1. n. 1. in fine, præterquam si iuramentum accesserit; hæc enim species vadimonii est quædam species servitutis, quasi perpetuæ; cum sæpe contingat longissimo tempore non solvi debitum; quibus positus:

Resp. tamen non desunt, qui hanc pactionem, seu obsidum deditorem docent, non valere, ut latè probant Covarr. l. 2. Variar. c. 1. n. 1. Decianus l. 7. tract. criminal. c. 18. n. 9. & alii; videntur tamen exponendi, extra casum iuramenti, & valde gravis necessitatis; cum tale iuramentum ex parte objecti non involvat aliquam turpitudinem, nec etiam ex parte jurantis modum illicitum in talibus circumstantiis; ita Gonzalez in dictum c. Ex rescripto, n. 3.

Yyy 2

DU-

Dubium VII.

Quo juramento teneatur Clericus, jurans Patrono, augere antiquam pensionem, & insistenti, non augere?

2078. Hunc casum Episcopus Norvicensis proposuit Lucio III. Præsentati enim Clerici debebant jurare Patronis, quòd majorem ipsis, quàm antea consuetum erat, pensionem solvere vellet; postea verò, cum ab Episcopo iterum instituebantur, iterum jurare debebant, quòd antiquam & solitam pensionem patronis præstandam augere nolint. Unde, cum dubitaretur, cui standum sit juramento? respondit Pontifex: quòd, cum posterius juramentum, quod ratione, & Lateranensis Concilii auctoritate nititur, præjudicet alteri juramento priori, quippe, quod de cupiditate processit, ideò posterius sit servandum; justum autem esse, ut Clerici ob perjurium, quod violare non possunt, ab Ecclesiis removeantur; sic habetur *c. Tua nos n. h. t.*

2079. Ratio dubitandi esse poterat, quia primum juramentum ex una parte videbatur validum, quòd Patronus, qui Ecclesiam fundat, ædificat, aut dotat, pensionem annuam sibi ex ea solvendam cum Episcopi consensu reservare possit, *c. Præterea. 23. de Jure Patronatus*; consequenter juramentum posterius non valuisse, utpote factum contra prius juramentum, quod ponitur obligare; ex altera verò parte primum juramentum videbatur non tenere; nam Patronus extra casum, quo sibi de consensu Episcopi in fundatione Ecclesiæ aliquid reservavit, nihil exigere potest ab Ecclesia, nec pensionem augere, *c. Prohibemus. 7. de censib.* adeò, ut, tametsi Clericus beneficiarius juret, se pensionem majorem soluturum, pro irrito habendum sit juramentum, quippe factum in detrimentum Ecclesiæ, & contra generalis Concilii prohibitionem, *c. Prohi-*

bemus, c. gravis. 13. junct. gloss. V. absoluit, eod. Et quoniam, si promissio augendæ pensionis facta sit Patrono ante præsentationem, & cum ordine & pacto expresso, aut tacito præsentationis consequendæ, Simonia committitur, & ideo ipso jure irrita est promissio, seu institutio præsentati, *c. Cum Clerici. 6. de pactis*, & notat Abbas *hic, num. 3.* etiam hoc titulo nullum erat juramentum primum; adeoque merito constitutum, ut staretur secundo.

Difficultas tamen nascitur ex ipso textu, quòd ibi dicatur: *justum esse, ut Clerici pro perjurio, quod vitare non possunt, ab Ecclesiis excludantur*; perjurium enim tunc propriè & verè committitur, ubi juramentum aliàs validum infringitur; unde videtur concludi, utrumque juramentum in dato casu valuisse; *primum*, quòd aliàs non diceretur *perjurus*, nec depositione puniretur; *secundum*; quia aliàs non jureretur servandum. Alii e contra cum Covarr. in *c. quamvis. p. 1. §. 6. numer. 9.* arbitrantur in rei veritate neutrum juramentum esse licitum, neque ex eo jurantes suis privari beneficiis, quòd alterum ex illis à parte rei fit temerarium; sed solum ex eo, quia quoad vulgi opinionem, duo hæc contraria præstans juramenta, constituit se in perjurio *putativo*; cum duo contraria fuerit pollicitus, in quibus terminis falsæ vulgi opinioni defertur, in quam rem expendere videntur verba hujus textus, ibi: *quod vitare non possunt*, & ibi: *primo præiudicat, quod de cupiditate processit*, si verba hæc referantur ad Patronos, qui ex cupiditate reddituum exigunt juramentum, non verò ad ipsos jurantes.

Duplex difficultatis solutio dari potest. 1. quòd juramentum primum non valuerit quidem, quatenus est in præjudicium Ecclesiæ; secus, quatenus est in suum Clerici præjudicium; & hoc titulo subjectum necessitati relaxationis; consequenter cum ante hæc in-

indeptam in institutione deinde promiserit cum juramento contrarium, fuisse perjurum; sic Barbof. in c. *Tu nos*, h. t. num. 2. Altera est, quam tradit Layman in dict. c. n. 2. dicens, ab illo Clerico non fuisse commissum perjurium contra juramentum promissorium; nam hujus periurii malitia in eo consistit, quod jurans promissionem iuratam implere negligat, id verò locum non habet, si juramentum obligatorium non sit, sive impleri non possit, aut saltem non debeat: sed cense-ri commississe periurium contra juramentum assertorium, cuius malitia in hoc consistit, quòd quis mendacium, aut falsam assertionem suam iuramento sciens confirmet. Nam in casu, quo quis semel jurat, se daturum; & rursum, se non daturum, præsumitur vel in hoc, vel in illo mendacium dixisse, consequenter falsum juramento firmare voluisse, quod utique periurium est; quod pariter depositione dignum est, c. *Presbyter*. 12. dist. 81. & c. *ult.* 22. q. 1.

§. 4.

De reliquis iuramentis licitis, vel illicitis.

2082. Quæstio. 1. est, an, qui juravit rem, ex parte sua licitam, non tamen ex parte recipientis, licite agat ad relaxationem iuramenti? Resp. quòd sic, ex c. 1. h. t. ibi: *Creditoribus ad iuramenta super usuris sibi solvendis præstita relaxanda per Ecclesiasticas censuras cogatis*, quando autem in c. *cum quidam*. 12. h. t. dicitur, eos, qui jurarunt illicita, *absolvendos esse ab illius observantia iuramenti*, debet intelligi de absolute declaratione nullitatem vinculi; non liberante, vel tollente; nam tale iuramentum nullam parit obligationem, seu naturale vinculum conscientie præstandi iurata.

2083. Quæstio altera est, an valeat iuramentum Monachi, quòd in claustrò sui Monasterii, cui se vinculo profes-

sionis adstrinxit, ulterius cum Gerardo Monacho manere non velit? quæstio hæc proposita fuit Urbano III. de quodam Monasterii Priore, qui tale juramentum emisit; respondit autem Pontifex: quòd *non licuit* Monacho supradicto temerarium juramentum facere; maxime, *cum fidem professionis frangeret, & stabilitatis sue propositum evacuaret?* ideoque circa eum tua, inquit, sollicitudo provideat, quòd talis ei pœnitentia injungatur, ut alius quilibet exemplo ejus deterritus, simile aliquid facere pertimescat: ipse verò in claustrò, quòd licite abjurare non potuit, cum stabilitate perpetua, suam pœnitentiam exequatur; c. *sicut ex literis*, 13. h. t. videtur tamen intelligendum de casu discessus à Monasterio *viâ non licitâ*; secus, cum dependentia à consensu legitimi ad hoc Superioris.

2084. Quæstio est. 3. an hæredes Vasalli Ecclesiæ, v. g. qui *Romane Sedis* feudatarius est, postquam uni Pontifici homagium, seu juramentum fidelitatis præstiterunt, Successoribus ejus iterum jurare debeant? hanc quæstionem Cardinales aliqui deciderunt, quam & Clemens III. approbat, *quòd satis sit, si uni Pontifici homagium semel præstiterint; Successoribus verò fidelitatem perinde, ac si etiam ipsis jurassent, servandam esse, c. Veritatis*. 14. h. t. ubi not. homagium, seu juramentum fidelitatis, factum *Romane Sedi, vel dignitati*, esse reale, seu transitorium ad Successores in dignitate, respectu cuius est; quamvis ex parte jurantis sit tantum personale; ratio primi est, quia dignitas, & officium cum persona non extinguitur, sed ad successores transit, c. *si gratiose*, 5. de *rescript.* in 6. consequenter, si is, cui ratione officii sui juramentum præstitum fuit, resignet, aut deponatur ab officio, jurans respectu illius obligatione liberatur: sicuti hoc ipsum in Voto obedientie cernere est, quòd Prælato fit, ut eo deposito obligatio voventis cesset *in illius persona*, & ad successoris personam transeat; arg. c. *Venerabilem*, 34. de *elect.* ratio secundi est, quia iuramen-

mentum, quoad vim obligandi *in vim religionis*, ex parte jurantis non egreditur eius personam.

2085.

Quæstio 4. est, an, & qualiter obliget juramentum parendi mandato alterius? Resp. de hoc agit *Veniens. 16. h. t.* Cum enim Antonius quidam verbis contendisset cum Mauricio, & pluribus vicissim illatis convitiis exinde gravis inimicitia orta esset, quidam se pacis constituendæ causâ interponentes suggererunt Antonio, ut pro satisfactione, Venerorum Civium quorundam mandato *se obediturum juraret*, quod ipse fecit ex confidentia, seu bona fiducia, ratus non se aliquid commisisse, ob quod grave quidpiam imponendum sibi esset: sed Cives illi præceperunt Antonio, *ut Ducis Veneti Curiam nunquam intraret, nisi, cum omnes per generale editum ad curiam vocarentur.* Verum Antonius, qui *Ducis consiliarius* erat, & multarum Ecclesiarum Advocatus, quibus ipse in iudicio patrocinium præstare obligabatur, tale juramentum nunquam edidisset, si ejusmodi mandatum suæ obligationi contrarium suspicatus esset: Innocentius III. igitur re intellectâ, mandavit Patriarchæ Grandensi, si posterius istud iuramentum, priori licitè edito, cognôrit esse contrarium, ut Apostolicâ auctoritate declareret, *non servandum esse.* Ex hoc colligitur, juramentum licitum parendi mandatis alterius, non porrigi ad illicita; vel alteri præiudiciosa, vel non cogitata; sic Flaminius *de Resignat. benefic. l. 1. q. 13. n. 46.* Unde etiam vota, & juramenta subditorum non possunt iuri Superioris derogare, ut Superior iustâ existente causâ non possit illis derogare; ita Sanchez *l. 8. matr. D. 17. à n. 3.*

2086.

Quæstio est. 5. an Advocatus v. g. sit periurus, qui iuramento promisit, Ecclesiam, vel personam defendere, & occurrente casu recusat, etiam si ad Superiorem appellet? Resp. ex *c. Brevi. 17. h. t.* ubi Pontifex expressè docet, quod in hoc articulo appellentem à periurio talis appellatio non excuset, imò (nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit Ecclesiæ subvenire) culpa

perjurii potius irretiatur. Verum, hæc intelligenda sunt [ut insinuatur in textu] *nisi iusta causa excuset*, quæ afferat moralem necessitatem, hic, & nunc intermittendi defensionem; vel aliquem æquè idoneum, & paratum substituat, ut notat Layman in dict. *c. Brevi. n. 5.* quod intellige, si revera gravis causa urgeat pro tali casu non exhibendi operam personalem; cui non videretur sufficere respectus personæ, contra quam in tali causa procedendum foret; cum hoc non possit ei esse incogitatum.

Quæstio est. 6. an scienter jurans illicitum, indigeat absolutione à vinculo juramenti? an, si ignoranter? an si juravit, quod est licitum, sed putans illicitum? huic quæstioni occasionem dedit casus cum Rege Aragoniæ, qui, [ut habetur in *c. quantò. 18. h. t.*] à Consiliariis suis [quin *potius Seducitoribus*, ut ait textus] inductus fuit, ut juraret irrequisito assensu populi, usque ad certum tempus patris sui conservare monetâ, quæ tamen circa mortem ipsius fuerat legitimo pondere defraudata. Quoniam autem eadem monetâ est adeo diminuta, & minoris valoris effecta, quod grave propter hoc in populo scandalum generatur: Rex, quod egerat indiscretè, discretè cupiens revocare, ac necessitati populi satisfacere, ab observatione juramenti prædicti, ex quo sibi, & regno suo metuebat grave periculum imminere, suppliciter à Romano Pontifice postulavit absolvi.

Ad hanc Regis supplicationem rescripsit Innocentius III. quod super hoc diligens indagator, veritate compertâ potuisset facile intueri, quod non tam erat absolutio necessaria, quàm interpretatio requirenda: quoniam, cum juramentum fecisti, monetam aut falsam, aut legitimam esse credebas? *si falsam* [quod de Regis Serenitate non credimus] juramentum fuisset illicitum, & nullatenus observandum,

dum, & pro eo tibi esset pœnitentia injungenda; cum iuramentum, ut esset iniquitatis vinculum, non fuerit institutum. Si verò ipsam legitimam esse credebas, iuramentum licitum fuit, & usquequaque servandum. Et, ut irreprehensibiliter observetur, consulimus, & mandamus, ut reprobata moneta, quæ à legitimo pondere fuerat diminuta, alia sub nomine Patris tui moneta cudatur, quam ad legitimum pondus reducas, secundum eum statum, quem tempore Patris tui habuit meliorem: ita, quòd & antiqua moneta, quæ ab illo statu falsa non fuerat, cum ea pariter expendatur: per quod & dispendium vitari poterit, & iuramentum servari. Veruntamen, si forte monetam ipsam, in præstatione iuramenti credebas à legitimo pondere diminutam, & tua super hoc conscientia te remordet, venerabili fratri nostro Episcopo Casaraugust: cui super hoc scribimus, tuum humiliter confiteri reatum, & satisfactionem, quam indixerit tibi pro illicito iuramento, devotè suscipias, & studeas adimplere.

4088. Ex hoc textu communiter deducunt DD. ut etiam legitur in rubrica hujus c. iuramentum scienter factum de re illicita, non egerè absolutione, cum non inducat ullam conscientie obligationem; si autem ignoranter, seu cum ignorantia illiciti, servandum esse, si, quòd promissum est, modo licito servari potest: si denique licitum est, quòd juratum, esto crederetur à jurante illicitum, puniendum esse pravum jurantis animum; iuramentum tamen tenere, nec iurantem ab obligatione, ubi cognoverit, non esse illicitum, esse immunem. Gonzalez tamen, apud quem habetur integer textus hujus c. n. 5. censet, ex hac Innocentii epistola rectius deduci hanc singularem assertionem: si moneta legitimo pondere, & integritate non constat, mutari à Principe debere, nec contrarium iuramento obstringi; hoc ta-

men videtur intelligendum, si Princeps à suis Consiliariis deceptus putavit monetam esse rectam, & sub hoc deprehendit, esse diminutam; nam servare monetam à justo pondere defraudatam, illicitum est, ubi propter hoc grave scandalum in populo generatur; igitur, cum hoc mutare possit, vel cudendo aliam justis ponderis, vel augendo valorem, cum sic iuramentum de non mutanda moneta servari possit, videtur ad hoc obstringi.

Difficultas tamen esse potest, an ex vi iuramenti teneatur ad illam mutationem vel per censuram novæ, vel per valorem extrinsecum veteris? an ex alio titulo, quo tenetur cavere scandalum in populo? Videtur enim, quòd non ex vi iuramenti. 1. quia neutrum juravit; & quòd juravit licite, putans materiam juratam esse licitam, deprehendit illicitam, ad quam non datur obligatio. 2. jurans licitum, putans illicitum, tenetur ex vi iuramenti ad iuratum, ubi deprehendit licitum, ut dicitur in textu; ergo per oppositum, jurans illicitum, putans licitum, non tenetur ex vi iuramenti, postquam deprehendit juratum esse illicitum. Non videtur autem dubium, damna secuta populo, & reliquis ex hoc decepti Principis iuramento per ignorantiam mali edicto, à talibus Consiliariis esse læsis omnibus resarcienda; cum ipsi unice eorum causa iniusta sint pravo suo consilio: textus tamen videtur stare pro obligatione vi iuramenti.

Præter dicta not. 1. iuramentum, in præiudicium Superioris edictum, non valere; sed interpretandum esse secundum terminos iuris; prima pars habetur ex c. Venientes. 19. h. t. ubi cum Consules Tudertini, in aggressu officii iurarent, in iudiciis servare loci consuetudinem (nimirum latas sententias super mutuis, & fideiussionibus exequendi intra 24. dies) quòd tamen repugnat iuri concedenti gravatis per sententiam appellandi facultatem; Pontifex reprobavit hoc iuramentum, in

in quantum iuri Superioris præiudicium, rationem reddens: quia etiam alii Judices jurare coguntur, quòd secundum leges iudicabunt, & tamen hoc non obstante justas appellationes admittere debent; ideo mandavit Consulibus civitatis, ut in posterum appellationibus interpositis deferant, cum in iuramento ipsorum, jus Superiorum exceptum intelligatur: secunda pars ex eo probatur, quia iuramentum obligationem iuris, super quod fertur, non extendit, sed tantum intendit sive auget intensivè, non extensivè; non extensivè; prout colligitur ex hoc c. & ibid. tradit Imola, n. 2. & alii. Et ideo etiam in c. ad nostram. 21. eod. dicitur, quòd generale iuramentum intelligi debeat cum clausula: *si fieri potest, ut non obviet iuri*; secus verò tanquam temerarium, contra juris observantiam, non obligare.

2091. Not. 2. quamvis dixerimus n. 2043. eum, qui juravit solvere usuras, & solutas nec per se, nec per alium, apud ullum Judicem, repetere; teneri quidem ex vi iuramenti, propter obligationem Deo exinde natam, ad eas saltem momentaneè solvendas; hoc tamen debere accipi, ut non procedat, si alia causa legitima, eas repetendi, superveniat; quo casu repetendo solutas, nihil ageret contra prius iuramentum; constat ex c. ad nostram. 20. b. t. Cum enim Joannes, & Jacobus, Titio usuras persolvissent iuramento confirmantes, quòd nec per se, nec per alium eas repetere vellent, nec super hoc apud ullum Judicem agere; Titius autem in testamento hæredes obligasset, ut omnibus, à quibus usuræ solutæ fuissent, eas restituerent; Joannes & Jacobus, metu memorati iuramenti eas non repetierunt; nec hæredes solverunt. Cum autem Innocent. III. hoc intellexisset, scribens ad Archiepiscopum Pisanum, mandamus, inquit, quatenus sub pena excommunicationis publicè in Ecclesia proponi facias, vel proponas, ut qui super hoc noverint veritatem, procedant ad testimonium proferendum; & si per dicta

testium, vel alia documenta tibi confiterit de præmissis; hæredes illius, ut usuras, quas à prædictis Pater eorum accepit, restituant universas, ecclesiasticam censuram compellas. Ex quo textu deducitur, duplici de causa fuisse licitum in tali casu, non obstante iuramento, repetere usuras. 1. quia Titius, hoc ipso, quòd hæredes obligaverit, solutas restituere, remisit iuramentum quoad quaecunque jus, quo tenerentur non repetere, aut ipsum, vel hæredes ejus non molestare; 2. quia iuramentum illud non porrigitur ad casum, si alio titulo (v. g. voluntate, aut dispositione Usurarii) ipsis novum constitueretur jus repetendi; cum novo iuri, & titulo non censeantur per illud iuramentum renuntiasse; sed aliis, si quæ tunc erant.

Not. 3. iuramentum; quod sine causa rationabili, conjuges emiserunt, de nunquam utendo iure conjugii, irritum esse; ut dicitur c. Tuanos. 24. b. t. unde hoc titulo se separare non possunt; ac eum, qui antequam contraxit cum muliere, juravit eam ducere, sciens, eam fuisse fornicatam cum alio, vel deformem, non posse illi opponere priora; secus superveniencia, ex c. Quemadmodum. 25. eod. Ex quo textu deducitur, non esse contra juratam promissionem futuri matrimonii, nolle promissionem adimplere, si unius è sponsis notabilis deformitas superveniat, aut status ejus notabiliter immutetur ante nuptias.

Not. 4. si mulier consentiens alienationi rerum dotalium, aut propter nuptias donatarum, factæ à marito, iuramento confirmet, quòd ejusmodi alienationem impugnare nolit, sed postea soluto matrimonio nihilominus oppugnet alienationem; esto secundum leges civiles consensus in ejusmodi alienationem obligatorius non sit; tamen, ne per talem prætextum perjuriiis via aperiatur: mulieribus servandum esse ejusmodi iuramentum, si absque vi, & dolo sponte præstitum sit, & in alterius præjudicium non redundet; neque ob-

ser-

servatum vergat in dispendium salutis æternæ; sic Innocentius III. in c. cum contingat. 28. h. t. & quamvis Layman in dict. c. n. 5. censeat, quòd, si mulier in alienationem rei dotalis, vel propter nuptias donatæ, cum iuramento consentiat, renuntians privilegiis suis efficaciter, etiam ex iustitiæ virtute obligationem contrahat; volens, pactum, sive contractum, qui lege ipsi resistente ob privatum commodum irritus est, per accessionem iuramenti confirmari, ita, ut etiam in externo foro actio tribuatur: contrarium tamen probabilius teneri, constat ex dict. l. 1. tit. 35. c. l. 3. tit. 13.

ARTICULUS III.

Quibus liceat jurare in iudicio?

2094.

Quamvis omnes homines, qui habent usum rationis, ex natura rei possint emittere iuramentum in iudicio; aliqui tamen ob hoc repelluntur, inter quos sunt periuri, ut habetur in c. Parvuli. 22. q. 5. ibi: qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad Sacramentum accedat, nec in suo, vel alterius iurator existat. Quamvis autem hunc textum plures accipiant solum de illo, qui in iudicio de perjurio convictus, & condemnatus est, ut voluit Sotus de iust. l. 2. q. 1. a. 10. & alii cum Barbof. in dict. c. Parvuli. n. 2. & Sanchez l. 3. in Decalog. c. 3. num. 5. videtur tamen valde probabiliter idem ex hoc textu dicendum de omnibus perjuris notoriis notorietate facti, quamvis in iudicio non convictis, si iuramentum id notorium fuerit quantum ad verba, deliberationem, & factum; quia nimirum eiusdem est evidentia facti illum dixisse verba iurandi, & bene deliberasse, & cognovisse, se jurasse falsum; ita docent Valent. 2. 2. D. 6. q. 7. punct. 3. colum. 4. vers. disputat verò, Azor, instit. moral. p. 1. l. 11. c. 11. qu. 6. Quando autem in textu dicitur: nec

Tom. II.

in sua, nec in alterius causa iurator existat, accipiendum est de iuramento; quod ad honorem, vel favorem iurantis spectat, ut est iuramentum purgationis; vel probationis supplicandæ, vel etiam testimonii ferendi: at verò ea iuramenta, quæ potius onerisunt, quam honori, uti est iuramentum calumniæ, & fidelitatis, quod præstatur domino in causa feudi, &c. etiam perjuri, & alii infames præstare debent; ut docet gloss. in cit. c. Parvuli, V. causa. Sanch. l. 3. cit. c. 3. numer. 5.

Dubitari etiam potest de pueris, an admitti iure possint ad edendum in iudicio iuramentum? Resp. in dict. c. parvuli. 22. q. 5. haberi parvulos, qui sine rationabili ætate sunt, non debere cogi iurare; & c. pueri, 15. ibid. pueros ante annos quatuordecim non cogendos iurare; ubi nota. r. dici, non esse cogendos; non autem, prohibitos. Unde Suarez l. 1. de iuram. c. 14. n. 5. putat, pueros ante pubertatem, si iurare velint in iudicio, non esse prohibendos, modo aliunde constet, illos esse sufficienter capaces iuramenti; nam, quòd non cogantur iurare, favor est, non pœna: rectius tamen non admittuntur regulariter, quando eorum iuramentum recipiendum foret cum partis adversæ gravi præiudicio, seu in causa gravi; idque propter imbecillitatem ætatis, & maturi iudicii, cum periculo facilis flexionis in obliquum potentiâ, promissis, commodo, & inclinatione in partem, pro qua iurant.

De Presbyteris extat textus in 2. q. 4. c. si quis. 4. ubi dicitur: si quis Presbyter contra Laicum, vel Laicus contra Presbyterum aliquam habet querimoniæ controversiam, Episcopo præcipiente personarum acceptione finiatur, & Laicus per iuramentum (si necesse sit) se expurget: Presbyter verò vice iuramenti, per Sanctam consecrationem interrogetur, quia Sacerdotes ex levi causa iurare non debent. Manus enim, per quam

Zzz

cor-

corpus, & sanguis Christi conficitur, iuramento polluetur? absit: cum Dominus in Evangelio discipulis suis (quorum vicem nos indigni in Sanctagerimus Ecclesia) dicat: nolite omnino iurare; sit autem sermo vester: est, est, non non: quod autem his abundantius est, à malo est; & c. Presbyter. 5. *ibid.* ubi habetur, quod Presbyter, vel quilibet Sacerdos, si à populo accusatus fuerit, & certi non fuerint testes, qui crimini illato approbent veritatem, *iusiurandum in medio erit*, & illum testem proferat de innocentia suae puritate, cui nuda & aperta sunt omnia.

2097. Ex his deducitur, Sacerdotes ex levi causa iurare non deberé; cuius rationem valde convenientem reddit D. Thomas. 2. 2. q. 80. a. 11. *in corp.* dicens: non indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur; hoc autem derogat dignitati personae, ut dubitetur de veritate eorum, quae dicit; & ideo *personis magnae dignitatis non convenit iurare.* Ubi tamen advertendum, quod subiungitur *c. si quis*, pro secunda eius parte, ubi habetur, his auctoritatibus non omnimoda iuramenta prohiberi fieri à Sacerdotibus: sed tantum incauta, & ea, quae pro qualibet causa temporali iudicio offeruntur: cum autem populari infamia Sacerdotes opprimuntur, tunc ad innocentiae suae assertionem iuramenta debere offerri.

2098. Questio autem est, an Sacerdotes, vel Clerici, quando in iudicio licite iurare possunt (nam ex causa necessaria licite etiam à Religiosis juratur per expressum textum in *c. etsi Christus. 2. h. t.*) iuramentum suum licite praestent coram Laico? ante responsum not. aliud esse, iuramentum voluntarium coram Laico, hoc est *in praesentia Laici*; aliud, *necessarium*, seu coactivum coram Laico, tanquam *Superiore id exigente*; quo posito Responsum primum licite fieri posse; ut colligitur *ex c. Ex rescripto. 9. h. t.* ubi Monachi

coram Abbate suo *in praesentia Petri*, cui Monasterium debebat magnam summam, jurarunt pro sui Monasterii debitis stare in obsequio: secundum autem negandum est, cum Laicis in Clericos, & Religiosos nulla competat Superioritas importans aliquam in eos jurisdictionem, ut constat ex dictis tit. 1. & habetur *in c. Nullus. 22. q. 5.* *ibi: nullus ex Ecclesiastico ordine cuiquam Laico quidquam super Sacrosancta Evangelia jurare praesumat: sed simpliciter cum veritate, & puritate dicat: est, est, non, non.* Sed si est aliquid, quod sibi objiciatur, prout indicaverint, qui eiusdem ordinis sunt, aut corrigatur, aut expurgetur; ubi nota, quod in textu, post verbum *obiiciatur*, apud Burchardum, & Juonem, sequuntur haec verba: *ad Episcopum, in cuius territorio est, deferatur*, & iuxta id, quod illi, qui ejusdem sunt ordinis, dijudicaverint, aut corrigatur, aut expurgetur; quo notatur, iuramentum etiam purgationis, si quod incumbat Clerico, non apud Laicum, sed Ecclesiasticum Iudicem praestandum esse; nisi forte id fiat cum licentia Episcopi, ut notat Sanchez *in Decalog. l. 3. c. 3. numer. 8.*

Dubitari tamen potest, an, si Clericus, vel Religiosus, non permittatur à Iudice Laico (v. g. tempore pestis) transire in territorium eius jurisdictioni subiectum, nisi iuret, se non venire ex loco infecto, id licite praestet? nam in tali casu propter incolumitatem totius territorii, merito ceteroquin negatur iis transitus, nisi constet, de loco non infecto, ex quo veniunt, propter grave periculum infectionis? affirmativam sequitur Piringh *h. t. n. 22.* nam etsi Laici, etiam tali casu, non sint Superiores eorum, tamen id licite exigunt; quia non est coactivum simpliciter loquendo, cum non vi illata exigant, sed tantum ex hypothese, si civitatem ingredi velint; haec tamen ratio posset extendi (ut faci-

facile solent Laici procedentes contra Clerum) ad plures consequentias, quæ nullatenus permittuntur; affirmandum igitur videtur propter tam grave peticulum tum ipsius personæ regularis; tum territorii, justè præsumi posse consensum Ecclesiastici Superioris in tali casu. Rectè tamen monet Layman, l. 4. Summa, tr. 4. c. 12. n. 5. magis decere Clericos, non jurare instar Laicorum tactu corporali, vel manuum elevatione, sed solum ad quæstionem ejus, qui loco præest, respondere cum sponsione, interposità fide Sacerdotali, bey meinen Geistlichen Würden und Ehren/ de quo V: dicta à n. 2028; & colligitur ex cit. c. Presbyter, de quo supr. n. 2096. ibi: Presbyter verò, vice juramenti, per sanctam consecrationem interrogetur.

ARTICULUS IV.

De juramento litis decisivo.

2100. Juramentum litis decisivum definitur juramentum litis finiendæ causæ, à parte litigante præstitum; hoc duplex est, nempe voluntarium, quod pars parti spontè defert, ut jure verum esse, quod asserit, in hunc finem, ut præstito juramento lis omnis sit præcisâ, & pars, quæ juramentum detulit, quiescat: & necessarium, quod Judex vel ad petitionem partis, vel ex officio defert parti; de quo V. n. 2008. Juramentum litis decisivum, quod voluntarium diximus, aliqui distinguunt in judiciale, ac extrajudiciale, quæ divisio nihil superaddit, nisi, quod illud fiat in; istud, extra judicium; quamvis aliqui dicant judiciale voluntarium esse, quod pars parti defert in judicio; vel quod delatum refertur ad hunc finem, ut pro jurante sententia feratur.

2101. Not. autem, quod referre juramentum idem sit, ac delatum sibi ab advor-
Tom. II.

sario juramentum in eum transferre. Paulus l. 38. jurejur. apud Hotoman: Manifesta (inquit) turpitudinis, & confessionis est, velle nec jurare, nec jusjurandum referre. Unde Judex dicitur referre juramentum in actorem, quando delatum Reo, & eo nolente jurare, in illum transfert. Similiter Reus dicitur jusjurandum referre actori, seu in actorem, quando id sibi delatum à Judice in Actorem transfert; sic Pereyra in Elucid. n. 1995. quibus positus: not. 2. de juramento litis decisivo generaliter agi in c. fin. h. t. ubi Gregorius IX. Henrico Judici scribens, ait: juramentum à te parti delatum, nisi justa de causa non potuit recusari; quamvis, quod in judicio à parte parti defertur, recusari possit licitè, ac referri; nec liceat convento famosâ actione referre hujusmodi jusjurandum; post quæ subjungit: Sanè, si Actor omnino in probatione defecerit, Reus debet (& si nihil præstiterit) obtinere: presumptione verò faciente pro illo, reo deferrî potest, ad ostendendam suam innocentiam, juramentum, nisi Judex (inspectis personarum, & causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum.

Not. 3. de eodem L. 1. ff. de jurejurando sive voluntario, &c. hæc haberi: maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio: quæ vel ex pactioe ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate Judicis deciduntur controversiæ; ex quo sequitur, parti, quæ juravit si ab adversario rursus sub hoc molestaretur, competere exceptionem litis finite, juramento nimirum ejus decisivo, à parte delato sive in, sive extra judicium, cujus effectus est, ut adversarius statim in limine judicii repellatur. Advertendum tamen, quod hæc exceptio non perimat instantiam (cùm eo non obstante Judex ferat sententiam) sed tantùm per illud finiri quoad necessitatem probandi, & ferendi sententiam juxta juramentum.

Not. 4. in L. 2. ff. eod. dici: *jusjurandum* (nimirum vel à parte, vel à Judice delatum) *speciem transactionis continere, majoremque habere auctoritatem, quam rem judicatam*; ubi not. quòd non dicat *esse transactionem*; sed tantum *continere speciem*, vel aliquam convenientiam cum transactione, nimirum in hoc, quòd sicut transactio, sic etiam istud juramentum impediatur litis ingressum; ceterum in juramento litis decisorio non requiritur, quòd quælibet pars aliquid acquirat, aliquid cedat, sicut in transactione; &c. his præmissis.

§. I.

Qui possint deferre juramentum voluntarium, decisorium litis?

2103. **R**esp. & si communiter dicatur, in omni actione, seu causa, quæ in judicio proponi potest, deferri posse juramentum voluntarium parti à parte; ut colligitur ex c. fin. b. t. ibi: *quamvis juramentum, quod in judicio à parte parti defertur* &c. ubi expressè sermo est de juramento suppletorio, seu litis decisorio; & L. generaliter. 12. C. de rebus credit. junct. gloss. V. *vel referatur*: Sunt tamen personæ aliquæ, quibus id non conceditur. Primò enim *Pupillus* in suum præjudicium *jusjurandum sine Tutoris auctoritate parti deferre non potest*, per L. 32. ff. b. t. ibi: *jurisjurandi gratiam facere non potest*; 2. nec *prodigus*, aut is, qui sub cura aliorum est, per L. 35. §. 1. ff. b. t. 3. *Minor habens curatorem, sine ipsius auctoritate*; cum delatio juramenti suppletorii importet quandam pactionem, seu contractum alienationis; quod Curatorem habenti non conceditur, L. 3. C. de in integrum restitut. Unde licet L. 9. §. quartum, ff. b. t. videatur dici, posse parti juramentum deferri à *Minore*, non tamen exprimitur, quòd *habuerit Tutorem* in eo casu (nam, si curet, omnino potest,) nec etiam, quòd egerit auctoritate Tutoris, si quem habuit. Illud porro universim not. quòd, qui *jusjurandum*

defert, prior de calumnia debeat jurare; deinde sic ei jurabitur; & hoc *jusjurandum de calumnia neque Patrono, neque Parentibus remitti, L. jusjurandum* 34. §. 4. ff. b. t.

2104. **Q**uestio præterea est, an parti juramentum litis decisivum possit deferre Tutor, vel Curator? 2. an Procurator? 3. an servus? 4. an filiusfamilias? 5. an Vasallus irrequisito Domino? 6. an Emphyteuta? 7. an delato ab his juramento detur actio de peculio? Ad 1. Resp. quòd sic; ex L. 17. §. 2. ff. b. t. *si Tutor, qui tutelam gerit, aut curator furiosus, prodigive jusjurandum detulerit, ratum id haberi debet*; nam & alienare res & solvi eis potest: & agendo rem in judicium deducunt; sed hoc intellige solum deficientibus omnibus aliis probationibus, ut dicitur L. 35. ff. eod. Ad 2. Resp. posse, si habeat mandatum speciale; 2. si datus sit in rem suam; 3. si habeat administrationem omnium bonorum, vel datus sit *cum libera*, per L. 51. §. 3. ff. eod. ibi: *Procurator quod, quod detulit, ratum habendum est*, scilicet si aut univerforum bonorum administrationem sustinet, aut si id ipsum nominatum mandatum sit; aut si in rem suam Procurator sit; modò prudenter judicare possit, id fore gratum, ac utile domino; non autem datus cum *mandato generali ad litem*; cum in dicta lege sit prætermisus; & præsumitur solum datus *ad petendum*; non autem ad aliud, v. g. *transigendum, deferendum*.

2105. **A**d 3. & 4. Resp. si careant administratione bonorum, non posse; per L. 7. C. b. t. ibi: *nec filius, nec quisquam alius, nec litigando, nec paciscendo, sed neq. jusjurandum citra voluntatem domini, ei deferendo, præjudicium ei facere potest*. Dixi, si careant administratione propter L. 2. ff. eod. ibi: *servus quod detulit, vel juravit, servetur, si peculii administrationem habuit*; ubi tamen textus intelligitur de administratione rei *peculiaris*. Ad 5. Resp. posse, si non agatur de alienatione rei feudalis; nam extra hunc casum sicut possunt alia (*compromittere, transigere,*

gere, &c.) ita poterunt & illa. Ad 6. Resp. quòd sic, sed non aliter, quàm possit alienare. Ad 7. Resp. si sermo sit de juramento à servo, vel filiofamilias delato parti, & hæc juravit dari actionem contra dominum de peculio; contra Patrem autem non tantum de peculio, sed etiam, si in re alia; discrimen hoc inter seruum, & filiumfamilias exponitur L. 3. §. 5. & 9. ff. de peculio.

§. 2.

Quibus deferri possit juramentum litis decisorium?

2106. **Q**uæstio procedit de juramento voluntario? Resp. regulam generalem tradit L. 26. ff. h. t. ibi: qui jurasse dicitur, nihil refert, cujus sexus, ætatisve sit; omni enim modo custodiri debet jusjurandum adversus eum, qui contentus eo, cum deferret, fuit: quamvis pupillus non videatur pejerare, quia sciens fallere non videtur.

Ex hoc textu deducunt aliqui, juramentum litis decisivum etiam pupillo deferri posse; huic tamen opponitur L. 32. ff. h. t. §. 2. ibi: pupillo non defertur juramentum. Sed hoc videtur intelligendum de judiciali; cum non habeat legitimam personam standi in judicio; illud autem de voluntario, si acceptet; nam, si pupillus juret extrajudicialiter, tenebitur quidem juramento; non tamen videtur referri posse.

2107. Dubium autem primum est, an juramentum litis decisorium, & voluntarium servo deferri possit? 2. an filiofamilias? 3. an Procuratori? 4. an Extraneo? 5. an eundem effectum præstet juramentum voluntarium, quando deferens contentus est paratà alterius voluntate, quàm, si re ipsa foret emissum? 6. quem effectum præstet juramentum delatum quidem, sed iterum revocatum? 7. an deferens juramentum voluntarium teneatur illud remittere prævidens alterum commissurum esse perjurium? 8. an juramentum voluntarium possit impunè recusari? 9. quid agendum, si deposito juramento pa-

teat jurantem peccasse? Ad 1. Resp. posse; nam, si deferens exinde nocumentum subeat, imputare sibi debet, quòd juramentum litis decisorium voluntariè detulerit servo; posse autem deferri servo, habetur L. 23. ff. h. t. ibi: si servus juraverit, Dominum dare non oportere: exceptio Domino indulgenda est: sibi, adversarius imputabit, qui servo detulit jusjurandum; & L. 25. ff. eod. ibi: sed & si servus meus, delato, vel relato ei jurejurando, juravit, rem Domini esse, vel ei dari oportere: putò dandam mihi actionem, vel pacti exceptionem, propter religionem, & conventionem. Ad 2. Resp. pariter, quòd sic; ex L. multò magis 24. ff. eod. ibi: multò magis proderit patri religio filii, cum quo etiam judicium consistere potest. Ipsi autem referentes conditionem eorum, quibus subjecti sunt, non faciunt deteriorem. Ad 3. Resp. affirm. ex L. jusjurandum 32. ff. eod. §. 3. ibi: Procurator non compellitur jurare: nec defensor, & ita Julianus scribit lib. 10. Digestorum, defensorem jurare non compelli: sufficere, ad plenam defensionem, si paratus sit judicium accipere. Ad 4. videtur negandum; quia nobis per extraneum actio non acquiritur; quod verum est directè; si autem pars etiam extraneo deferret juramentum pro altera parte, videretur cedere juri suo, & consequenter si is, pro quo juravit extraneus, deinde conveniretur à parte, quæ in alterius favorem juramentum extraneo detulit, possit illi opponi lis decisa per juramentum extranei saltem ex præsumpta cessio-
ne juris prætensi.

Ad 5. Resp. effectum decisivum litis non competere juramento voluntario à parte non delato; bene tamen delato, si deferens contentus sit solà voluntate alterius ad jurandum paratà, intra tempus, ad quod delator restrinxit. Ratio primæ partis est ex L. 3. ff. de jurejurando, ubi hæc verba Prætoris (si is, cum quo agitur, conditione delatà juraverit, cum quo agitur, accipere debemus ipsum rem) sic exponit Ulpianus: nec frustra
adji-

adjicitur *conditione delata*. nam si Reus juravit, *nemine* ei jusjurandum *deferente*: prætor id jusjurandum, non tuebitur; sibi enim juravit; alioquin facillimus quisque ad jusjurandum, decurrens, nemine sibi deferente jusjurandum, oneribus actionum se liberabit. Ratio secundæ partis est ex *L. 6. ff. eod. ibi: Remittit jusjurandum, qui, deferente se, cum paratus esset adversarius jurare, gratiam ei facit, contentus voluntate suscepti jurisjurandi*; ubi clarè loquitur de juramento *delato*, ut aperçè colligitur ex verbis immediatè seqq. ibi: *quòd si non suscepit jusjurandum, licet postea parato jurare actor nolit deferre, non videbitur remissum*; nam, quod susceptum est, remitti debet.

2109. Ad 6 Resp. Si, antequam is, cui delatum est juramentum, hoc deponat, deferens revocet delationem, esto alter juret, perinde futurum, quàm si juraret juramento *non delato*, per *L. 11. C. de Rebus credit. §. Si quis*, ibi: si quis autem Sacramentum intulerit, & hoc revocare maluerit, licere quidem ei hoc facere, & alias probationes, si voluerit, præstare: ita tamen, ut *hujusmodi licentia usque ad litis tantummodo terminum ei præsetur*. Ex hoc enim habetur, delationem, re adhuc integrâ, licitè revocari; consequenter, juramentum nihilominus, revocatione factâ emissum, esse *non delatum*; cum *non esse delatum*, & delationem esse legitimè revocatam, in ordine ad effectum juris, perinde se habeant. Ad 7. Resp. cæteris paribus, teneri ex charitate; non autem cum gravi suo detrimento. Ad 8. Resp. posse licitè in principio; nam obligatio jurandi juramento voluntario nascitur ex pacto partium; at in principio neutra pars pacisci cogitur, sed potest recusare pactum, consequenter juramentum delatum.

2110. Dices: ergò in tali casu tenebitur eo ipso jurare deferens, si alter juramentum ab ipso extrajudicialiter delatum recuset, & referat. Resp. negando illatum; nam ex eo, quòd is, cui juramentum delatum est extrajudicialiter, hoc

referat in deferentem, hic quidem jurare poterit, & juramento deposito consequetur effectum, quem juranti præstat juramentum litis decisorium: ea tamen relatio non imponit *ei necessitatem* jurandi; cum iste casus *relationis* non sit deductus in pactum, quo alteri juramentum delatum est; & ideo *L. 17. ff. de jurejurand.* dicitur, jusjurandum, quod ex conventionione extra judicium defertur, referri non potest, nimirum ut deferens ex *necessitate* jurare cogatur, eo ipso, quòd alter nolit.

Ad 9 Resp. de hoc casu agi *L. causa 211. 1. C. de Rebus credit.* ibi: *causa jurejurando, ex consensu utriusque partis, vel adversario inferente, delato, & præstito, vel remisso decisa, nec perjurii prætextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur*; ubi nota exceptionem: *nisi hoc lege specialiter excipiatur*; ergo ubi non occurrit specialis exceptio legis, Judex procedere debet juxta juramentum depositum, esto deprehendatur falsum. Deinde *L. 5. §. 2. ff. b. t.* habetur: *dato jurejurando, non aliud queritur, quàm an juratum sit? remissa questione, an debeatur: quasi satis probatum sit jurejurando*; demum *L. 31.* ibi: *quòd si aliàs inter ipsos jurejurando transactum sit negotium, non conceditur, eandem causam retractare*.

Ex his juribus deducitur, si quis de-²¹¹²posuit juramentum voluntarium (nimirum à parte sibi delatum) id, quod vi ejus valeret, si non foret perjurium, per se loquendo dicendum etiam in casu, quo sub hoc deprehenderetur esse falsum, nec posse retractari; ratio comprimis est ex cit. juribus; deinde, quia ex conventionione partium res decisa *hoc ipso* est, quòd alter juret; nam deferens, vi pacti se obligat ad acquiescendum, si alter jurare audeat; ergo ubi hoc factum est vi pacti tenebitur acquiescere; cum revera sic interveniat ex parte deferentis saltem tacita cessio sui juris, si ille audeat jurare; cum aliud non quærat, quàm, *an sit juratum? remissa questione, an res debeatur?* ut constat ex *preced. num.*

Dixi, per se loquendo, deposito juramento

mento voluntario, quantumvis falso, id, super quo conventum est, non retractari. Nam quoad hoc extat duplex exceptio; prima est, si quis juravit de legato, vel fidei commissio sibi præstando ex testamento, & juramentum deprehenditur falsum; cujus ratio non est utcumque, ne impium lucrum capiat ex delicto suo, suppositâ conventionem cum deferente juramentum *merè conditionatâ*; hæres enim non potest præsumi in tali casu velle contravenire voluntati Testatoris; conveniendo absolute, ut rem alter sibi habeat, esto falso juret; nam hoc non competit hæredi: ex quo liquet, aliud esse in casu, quo quis *in resua*, & independenter à voluntate alterius, cedit, si pars juramentum delatum præstet.

2113. Altera exceptio est, ut non acquiescatur juramento deposito ab uno litigantium, ab altero sibi delato; quando ex conventionem admittitur juramentum deferentis contra juramentum ejus, cui ab hoc delatum est; tunc enim posterior causa jurisjurandi potior est, ut dicitur *L. in duobus. 28. ff. b. t. §. fin.* ibi: *cum ex hac parte jusjurandum, & actionem, & exceptionem inducat, si forte reus extrajudicium, actore inferente, juraverit, se dare non oportere, & Actor, reo deferente, dare sibi oportere, vel contra: posterior causa jurisjurandi potior habebitur, nec tamen præjudicium perjurio alterius fiat: quia non quæretur, an dare eum oportet? sed, an actor juraverit?* ubi gloss. lit. 9. Jassone, ultimo, inquit, juramento stari oportet; ultimum enim primo derogat.

§. 3.

In quibus causis deferri possit juramentum voluntarium.

2114. Ad hoc aliquid dictum est superius n. 2101. ex c. fin. b. t. clarius tamen ad hoc respondetur *L. ait Prætor. 3. ff. b. t. §. 1.* ibi: *quacunque autem actione quis conveniatur, si iuraverit, proficiet ei jusiurandum: sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive penali actione; vel quavis alia agatur: sive de interdicto.*

2115. Ex hoc sequitur, juramentum litis de-

cisivum, & voluntarium; deferri posse in qualibet causa *civili*, quando *civiliter* agitur ad *proprium* interesse; non autem, si actione *populari*, nimirum ad interesse *plurium*; etiam si agatur actionibus famosis; seu infamantibus. Tres partes habet hæc sequela. 1. probatur ex *cit. L. ait Prætor. §. 1.* ibi: *quacunque autem actione* &c. quod etiam colligitur ex §. 2. ibi: *Sed etsi de conditione personæ fuerit juratum, Prætor jusiurandum tuebitur*, ut puta, detuli jusiurandum, & jurasti, in potestate mea te non esse: tuendum erit jusiurandum. 2. etiam probatur: quia unus ex Actoribus; ubi actio *popularis* est, sine aliorum consensu, cæteris præjudicare non potest: ratio 3. partis est ex dictis; cum allatis ibid. exceptionibus; quod tamen intellige de illis actionibus famosis; quæ intentantur solum *civiliter*.

Sequitur. 2. dictum juramentum deferri posse etiam in casu, quo agitur de crimine famoso *criminaliter*, sed solum tunc, quando alias in tali causa transigere licet; ratio sumitur ex eo; quia delatio juramenti voluntarii habet speciem transactionis; saltem ad hunc effectum, ut Actor præstito juramento repellendus sit, prout diximus n. 2102. ergo in iis causis etiam famosis concessum est parti deferre juramentum voluntarium; in quibus super iisdem conceditur transactio; de quibus egimus lib. 1. tit. 36. de Transact.

Quamvis autem communiter dicatur, in quacunque causa, ubi *civiliter* agitur, posse parti à parte deferri juramentum voluntarium tam intra, quam extra judicium; advertendum tamen. 1. juramentum extrajudiciale non necessario referri; juxta dicta *num. 2110.* advert. 2. tametsi regulariter juramento litis decisivo stetur; etiam voluntario, postquam ab eo, cui delatum erat, emissum est; licet deinde falsum deprehendatur; nec propterea retractari debeat ex dict. à *numer. 2111.* hoc tamen in duobus casibus limitari; ut in iis non procedat; propter dicta à *n. 2112.*

§. IV.

§. 4.

Quis possit deferre iuramentum necessarium, cuius decisivum? quibus? & quando?

2118.

A Gimus hic de iuramento *judiciali*, eoque *necessario*, quod uni litigantium, vel ad initantiam alterius, vel ex officio in certis casibus imponi potest, vel debet. De iuramento autem voluntario jam actum est §. præcedente, præsciendò tamen, an iudiciale sit, vel extrajudiciale; de hoc jam diximus n. 2110. non *necessariò* referri; si autem sit iudiciale, censent aliqui ab eo, cui delatum est, *necessariò* esse *vel iurandum*, *vel referendum* in deferentem, sic, ut si hic facta relatione recuset, statim à limine iudicii repellendus sit, & hoc jure Digestorum L. 3. h. t. ibi: *manifestæ turpitudinis confessionis est, nolle, nec jurare, nec recusare*. Verum hanc legem existimo accipiendam cum hac limitatione, ut procedat, ut non possit nec recusari, nec non referri, *absque rationabili causa*. Hanc limitationem persuadet L. *generaliter. 12. C. de rebus cred.* & iuramento, à Justiniano Imperatore condita.

2119.

Verba Legis §. 1. sic habent: sed iuramento illato, cum hoc à partibus factum fuerit, & à Iudice approbatum, vel ex auctoritate Iudicis cuicumque parti illatum: si quidem is, cui imponitur Sacramentum, nihil ad hoc fuerit reluctatus, hoc præstetur, vel referatur: *necessitate ei imponendâ, cui jure refertur, relationis Sacramentum subire: vel, si hoc recusaverit, quasi illato Sacramento præstato, causa, vel capitulum decidatur, nullo loco provocationi relinquendo*. Quis enim ferendus est ad appellationis veniens auxilium in his, quæ ipse facienda procuravit?

§. autem. 2. Sin autem is, cui Sacramentum est illatum, vel à parte, vel à iudice, hoc subire minimè voluerit: licentiam quidem habeat Sacramentum recusare: iudex autem, si hoc omnimodò præstandum existimaverit, sic causam dirimat, *quasi volente eo Sacramentum sit recusatum*: & ita cætera si-

ve capitula, sive totius negotii summa examinentur, & lis suo Marte percurrat, nullo ei obstaculo obviant. Ipse autem, qui Sacramentum sibi illatum dare recusaverit: vel hoc attestetur, vel si fortè non audeat, habeat sibi in ultima provocatione repositum auxilium; & si Iudex appellationi præsidens, *benè quidem illatum jusiurandum, non ritè autem recusatum*, pronuntiaverit, res secundum quod iudicatum est, permanebit. Sin autem *non ritè quidem illatum, ritè autem recusatum Sacramentum* pronuntiaverit, tunc ei licebit emendare sententiam Iudicis, quæ quasi ex recusato Sacramentum processit, & nihil penitus nec præiudicii, nec iniusti dispendii cuicumque incurrer: sed & causæ cursus ab initio usque ad novissimum terminum non impiedetur, & lis æquâ lance trutinabitur; ac demum §. 3. Sive autem illatum iuramentum præstitum fuerit, sive recusatum: ipsi parti, quæ hoc inculit, nullum provocationis remedium in hoc reservabitur: cum nimis crudele est, parti, quæ hoc derulit, propter hoc ipsum, quod Iudex eius petitionem securus est, superesse provocationem.

Circa hunc textum, not. 1. quod in §. 1. dicitur: *si quidem is, cui imponitur Sacramentum, nihil ad hoc fuerit reluctatus, hoc præstetur, vel referatur*; ex hoc enim sequitur, per hunc textum posse recusari, & præstationem iuramenti, & relationem; cum quandoque fieri possit, quod imponatur *non jure*. Unde subditur, non eo ipso imponi necessitatem absolutam præstandi, vel referendi iuramentum; sed solum, *si non fuerit reluctatus*, Iudicem, etiam factâ recusatione, *quasi illato Sacramento præstato*, causam, vel capitulum decidere debere, nullo loco provocationi relinquendo, sed solum *si iure referatur*, nimirum, quando nulla suppetit causa rationabilis, recusandi iuramentum, vel ejus relationem; quò habetur parè in hoc esse causam & necessitatem & ejus, cui defertur; & ejus, in quem refertur iuramentum, quando recusatur in defectu rationabilis causæ; non autem, ubi hæc suppetit.

Not.

2121. Not. 2. quando in §. 2. dicitur: si is, cui juramentum delatum est vel à parte, vel à Judice, hoc minimè subire voluerit, licentiam quidem habeat juramentum recusare, & si Judex hoc juramentum omnino præstandum existimaverit, sic causam dirimat, quasi *volente* eo Sacramentum sit recusatum; & ita cætera, &c. ut supra: in hoc textu plura esse observanda. 1. quando ibi legitur: *quasi volente eo sit recusatum*, à glossa notari, legendum, quasi *volente eo sit recusatum*; quem porro effectum habeat contumax neglectus juramenti, constat ex præced. num.

2122. Not. 3. si contingat, quòd, parte recusante juramentum, procedatur ad definitivam, condemnatum (si videatur sibi justam causam habere recusandi juramentum) juris beneficio habere in ultima provocatione auxilium, ut nimirum, si Judex appellationis pronuntiaverit, juramentum ei non esse ritè delatum, & rectè recusatum, Judex *ad quem* possit emendare sententiam Judicis à quo, quæ ex quasi juramento processit; & nihil penitus præjudicii ex prima sententia condemnatus patiatur, ut constat ex dicta L. 12. §. 2. *supr. n. 2119.* his præmissis:

2123. Quæstio. 1. est, à quo deferri possit juramentum *necessarium*? quod aliqui vocant *suppletorium*, in defectu scilicet alterius legitimæ probationis. Resp. quòd à Judice Ordinario, & Delegato, *per L. 3. ff. h. t. ibi: Solent enim sæpe Judices, in dubiis causis, exacto juramento, secundum eum judicare, qui juraverit;* & colligitur etiam ex L. 12. de qua supra, ibi: *vel ex auctoritate Judicis cuicumque parti fuerit illatum;* quod videtur procedere etiam de Arbitro juris; cùm isti in tali casu sint veri Judices. Ut autem Judex uni litigantium hoc juramentum deferat, opus est, ut id faciat *causâ cognitâ*, *per L. 3. C. h. t. ibi: per judicem jurejurando, causâ cognitâ, res decidi potest;* in quo autem potissimum consistat *hac causâ cognitio*? constabit ex seqq.

2124. Quæstio altera est, quibus deferri possit hoc juramentum *necessarium*? In hoc certum videtur, nec debere, nec posse licitè deferri personis, de quibus meritò dubitatur, an sint integræ fidei, ac bonæ existimationis propter periculum tum perjurii, tum gravis præjudicii ad-

Tom. II.

versæ partis; unde personæ minus legales, cujusmodi sunt viles, & infames, non sunt inducendæ ad jurandum; sicut & illi, qui notoriè habentur usurarii, sceneratores, alienorum ardentè cupidi; quia reverà in talibus *amor habendi* præstat justum dubium de integritate fidei; quo etiam pertinent perjuri, aut suspecti de perjurio; nam *qui semel pejeratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad Sacramentum accedat; nec in sua causa, vel alterius existat, 22. q. 5. c. 14.* potest autem hoc juramentum præstari vel personaliter ab eo, cui delatum est; vel per Procuratorem, qui juret nomine principalis hoc testantis, & asserentis.

2125. Quæstio 3. est, an, ut alicui deferatur juramentum litis decisivum, & necessarium, necesse sit, & sufficiat, quòd semiplenè probaverit, pro quo juraturus est? prima pars quæstionis communiter affirmatur à Doctoribus; nam hoc titulo dicitur *supplere defectum probationis*, nimirum *exhibita*, sed se sola nondum integræ, ac sufficientis. Ad alteram (an sufficiat?) censent aliqui negativè, restringentes ad casum, ubi ex mutuis & plenis partium probationibus resultat dubium; communis tamen tenet, sufficere per L. 3. C. h. t. ibi: *in bonæ fidei contractibus nec non etiam in cæteris causis, inopia probationum per judicem jurejurando, causâ cognitâ, res decidi oportet;* inopia autem probationis est, cùm ea *solum est semiplena*. Unde, cùm leges non ferantur pro casibus *planè raris* (qualis est, quòd uterque litigantium intentionem suam plenè probaverit) immeritò lex restringitur ad casum illius plenæ mutuæ; imò hæc limitatio videtur repugnare c. 2. *de probat.* ubi reprobatür consuetudo deferendî juramentum ei, *qui plenè probavit;* præsertim, cùm c. *fn. de jurejurand.* dicatur, Actori deferendum juramentum, si cæteris paribus pro eo stat præsumptio ratione personæ, ac circumstantiarum.

Unde, quando dicitur, *Actore non probante, Reum absolvendum esse, etiamsi Reus nihil probaverit;* respondetur verum esse, quòd tali casu Judex *non teneatur* Actori deferre juramentum, & Reum absolvere possit; quia tamen quandoquæ ex semiplena probatione talia possunt prodire veritatis indicia, ut, tametsi eam non

Aaaa

plenè

plenè probent; reddant tamen valde credibilem, & afferentis eam probationem statum meliorem, præsertim, ubi Adversarius præter puram negativam, nihil profecto, nihil etiam ad infringenda allata affert; permittitur Judici, rebus omnibus ritè consideratis, amore veritatis, illi deferre juramentum, & secundùm illud definire causam; quare licet Actore non probante plenè, Reus absolvi possit; non tamen in omni circumstantia Judex tenetur.

2126.

Questio est 4. quando, seu in qua parte judicii juramentum necessarium, litis decisivum deferendum sit? Resp. posse in qualibet parte judicii, ubi res nondum liquidè probata est ab una parte litigantium adversus alteram (nam in hunc finem ejusmodi juramentum conceditur, & colligitur ex L. 12. C. de reb. credit. & juramento) idquè non tantum in prima instantia, sed etiam secunda. Tamen si enim finis appellationis sit, emendare, vel confirmare sententiam Judicis à quo; is tamen non est unicus; cum etiam in eum finem adinventum sit, ut prius non deducta deducantur; & non probata probentur, ut habetur L. 1. ff. de appellat. & ratio sumitur ex verbis dictæ L. 12. ibi: *omne igitur juramentum, sive à Judice sibi à partibus illatum, vel in principio litis, vel medio, vel in ipsa definitiva sententia, sub ipso Judice detur, non expectat à vel ultimà definitione, vel provocationis formidine.*

2127.

Dubium est, an juramentum hoc necessarium deferri possit etiam post conclusionem in causa? Resp. ex communi sententia DD. ad petitionem partis, factam post conclusionem in causa, non posse; secus, si petitio facta est ante, licet delatio fiat post; Judicem autem, ex officio id non posse post conclusionem in causa, nullo prius petente; in quo tamen postremo contrarium sentit Gail apud Haunoldum tom. 5. tr. 464. n. 1024. volens, esto petitum non sit, hoc juramentum deferri posse à Judice etiam post conclusionem in causa. Nam, ubicunquè Judicem æquitas moverit, æquè oportere fieri interrogationem, dubium non est, ut dicitur L.

21. ff. de interrogat.

§. V.

An sit in arbitrio Judicis, deferre juramentum, cui maluerit, ex litigantibus?

Supponendum, per *Judicis arbitrium* hic non intelligi meram libertatem qualem habet homo, vi cuius potest v. g. facere aliquid, vel non facere, aut etiam oppositum, prout libuerit; sed facultatem aliquid faciendi, vel omittendi ex matura deliberatione præviâ, consideratis omnibus circumstantiis, ad rem facientibus, & finem, quem vi muneris sui quærere debet, obtinendum; & quoniam in judicio maximè quæritur veritas probationum, ut ex his, quæ prævalent adversus probationes alterius, justè pronuntiare possit; subindè autem haberi non possit, nisi delato uni partium juramento, Judicis erit *arbitrari*, hoc est, maturè prius deliberare, per cuius juramentum, si deferatur, rectius, ac melius veritas cognosci valeat? quo posito ei deferet, in quo tales sunt circumstantiæ, ex quibus persuadeatur, ab hoc potius, quam ab illo, veritati conformiter, juratum iri. Et ideo Alex. Scotus, V. *arbitrium*, dicit: arbitrium, seu arbitrarium suo proprio significato importare libertatem arbitrandi, & voluntatem ratione regulatam. Unde commissum arbitrio alicujus, intelligitur boni viri, ff. de legat. L. 3. si filia; imò si sit generaliter commissum, non valet factum ab eo, nisi legitime factum sit; gloss. in c. causam, quæ de elect. V. si tamen; quibus positus:

Triplex in hac quæstione est sententia; quarum prima vult, juramentum supplementarium probationis, esse deferendum Reo; secunda verò, Actori; tertiã demùm, relinquendum arbitrio Judicis, ut ei deferat, cui hoc deferri, maturo judicio videbitur æquius ad finem intentum, nimirum cognoscendam veritatem, ut dictum est præced. num. quod tamen intelligi vult hæc sententia, quam ex teris veriore existimo, quando locus esse potest arbitrio; primò enim, si una pars litigantium intentionem suam semiplenè probavit; altera verò nihil, non erit locus arbitrando, cui



cui horum deferat juramentum in probationis supplementum? nam Actori, qui nihil probavit, prudenter deferri non poterit, cum tali casu Reus absolvendus sit, maxime si hic semiplenè probavit contra Actorem; si autem Actor semiplenè probavit; Reus autem nihil, opus non est deliberatione, cui tali casu deferat; cum, si delatione opus sit, non possit alteri, nisi probanti; similiter, si Reus concedat, quod Actor petit; sed opponit exceptionem, eam què saltem semiplenè probet, sine ulteriori deliberatione Judex illud deferret Reo; non Actori, cum iste illo non indigeat, in casu, quo Reus non negat, sed affirmat, quod Actor petit, v. g. acceptum mutuum.

2130. Dixi, quando locus esse potest arbitrio, ut in casu, quo utraqùe pars intentionem suam probavit, sed non plenè; nam tunc Judex consideratà qualitate, ac legalitate personarum, statuet, cui deferendum sit juramentum; ei enim præ altero deferendum erit, in quo plura, & majora reluctant argumenta, seu indicia obtinendæ veritatis; nam hic finis à Judice quærendusest in casu, quo agitur de juramenti supplementarii delatione. In casu tamen, quo utriquè jura sunt paria, dubitari potest, num locus sit gratificationi? Mihi dicendum videtur, Judicem in tali casu posse Reum absolvere; nam in eo casu potior est conditio Rei, etiam favente jure, ac dicente: *Actore non probante* (nimirum probatione prævalente) *Reum absolvendum esse*; si tamen Reus sibi deferri juramentum peteret; posse illi deferri, nisi occurrat ratio, propter quam ejus fides suspecta redderetur; quia in tali casu, cæteris paribus, Rei conditio favorabilior est. Cæterum, si propter multitudinem litium videretur ea controversia in dato casu terminanda, & Reo non petente Actor sibi deferri juramentum peteret, nisi aliud obftet, etiam tunc Actori deferri possit; quo fit, non esse locum gratificationi ex titulo merè politico: sed ex ratione vel juris, vel boni communis, suadente unius potius præelectionem, rebus maturè ponderatis.

2131. Not. præterea, intentionem Rei quandoquè intentioni Actoris esse *directè contrariam*, ut si Actor probet, *se tali die, & loco, cum Titio contraxisse*; sed Titius neget, probans, *se tali die, nec fuisse in tali*
Tom. II.

loco; quandoquè autem solùm *indirectè*, puta, si Actor probet *contractum*; Titius autem non neget illum, sed solùm opponat, *jam solutum*. In utroquè casu dubium esse potest, cui tunc deferendum sit juramentum supplementarium? In primo, si Actor suam intentionem plenè probavit v. g. per duos testes; Reus autem solùm per unum; locus non erit juramento supplementario, ut jam notavimus supra; in secundo autem casu probabilius deferri debet Reo; nam quando ex duobus litigantibus unus quæstionem controversam semiplenè probavit, ei deferendum est juramentum supplementarium, si super illa nihil probavit; alter: at in dato casu, quo Actor per duos testes etiam plenè probavit; & Reus non negat contractum, sed solùm per unum testem idoneum Actori opponit exceptionem soluti, quæstionem controversam Reus semiplenè probavit; Actor autem super ea nihil; ergo. Min. prob. nam in hoc casu quæstio controversa non est circa *contractum celebratum* (cum illum affirmet Actor, & concedat Reus) sed solùm *circa solutum*; at *solutum* Reus semiplenè probavit, nempe per unum testem idoneum; circa *solutum* autem nihil probavit Actor, esto plenè probaverit *contractum*; ergo.

2132. Confirmatur ex c. *fin. h. t. §. Sanè*, ubi dicitur, quod, si Actor omnino in probatione defecerit, reus debeat (etsi nihil præstiterit) obtinere: præsumptione verò faciente pro illo, reo deferri possit, ad ostendendam suam innocentiam, juramentum, nisi Judex (inspectis personarum, & causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum: at in dato casu Actor nihil in quæstione controversa probavit; quia tamen plenè probavit contractum, habet pro se aliquam præsumptionem exigendi debitum ex contractu; igitur, si Reus illius intentioni opponat exceptionem *soluti*, indirectè contrariam, juramentum deferendum erit Reo, nisi aliæ causæ sint in contrarium; quando autem dicitur, per *plenam* probationem absumi semiplenam contrariam, consequenter, quando Actor plenè probavit suam intentionem, Reum censi, nihil probasse, licet semiplenè probaverit contrarium: Resp. cum distinctione, & conceditur, per plenam probationem absumi semiplenam *directè* contrariam; non autem solùm contrariam;
Aaaa 1 in-

indirectè; ratio est; quia non potest esse simul verum: tali die in loco A. contractus à te, & me factus est; & contractus à me, & te tali die non est factus in loco A. nam secundum directè excludit primum, & vicissim: an bene stat: *tali die & loco contractus à nobis factus est, & concedo, factum contractum, sed nego me quicquam nunc ex illo debere, cum solverim; quo casu, esto primum plenè probetur, adhuc stat secundum; ergo plena probatio primi non absorbet semiplenam secundi, solum indirectè contrariam.*

§. VI.

An Judex quandoquè ex officio deferre possit juramentum litis decisivum?

2133. **A**Nte, resolut. supponendum. 1. unum è litigantibus in judicio posse juramentum litis decisivum deferre parti alteri, de quo jam diximus à n. 2103. etiam post conclusionem in causa, si prius est petitum. Suppon. 2. quòd Judex parti, in judicio petenti, ut alteri deferat juramentum suppletorium, non possit negare, si aliundè petitio legitima sit; denegando enim redderet se suspectum; controversia tamen esset, qua necessitate teneatur ad hoc non denegandum? mihi videtur necessitas moralis, quam habet, ut exactè, ac citra reprehensionem fungatur suo munere; & hoc volunt leges, quando dicunt, *oportere deferre*; non tamen talis, quæ annullat absolutionem, vel sententiam, delatione juramenti prætermisâ, cum quandoquè dicatur, *Judices solere deferre*, quod appellat consuetudinem laudabilem, non omiffibilem citra reprehensionem; quæstio nunc est, an, ubi locus est juramento suppletorio, Judex, nullo litigantium petente, ex officio id deferre possit?

2134. In hac quæstione videtur affirmandum, suppositis cæteris ad hoc requisitis, posse Judicem, absolute loquendo, uniligtantium deferre juramentum litis decisivum, etiam nullo litigantium id petente; ratio sumitur. 1. ex L. 1. ff. h. t. ibi: *sape Judices, in causis dubiis, exacto jurejurando secundum eum judicare, qui juraverit*, ubi nulla fit mentio de jurejurando exacto ad instantiam partis. 2. ex L. 3. C.

ead. per Judicem, jurejurando, causa cognita, decidi oportet; quod maxime procedit, si Judex causa cognita judicet expedirens finiendæ liti jusjurandum non esse necessarium, & ex partibus requirat, an in hoc consentiant? in casu enim, quo fieret tali recusatione, renuentem reddi suspectum; consequenter si aliunde non potest aliter ex probationibus & documentis allatis, aut etiam legibus decidi sententia, licere Judici ex officio procedere ad cogendum eum ex litigantibus, cujus juramento veritas melius innotescat; maxime, cum in c. fin. h. t. prudentiæ Judicis committatur, an Actori, vel Reo in ejusmodi casu dubio juramentum deferat?

Hinc tametsi verum sit, Judicem non debere suum officium impertiri privatis hominum utilitatibus, tanquam fini directo, *nisi fuerit imploratum*, ut dicitur L. 4. §. hoc autem judicium. ff. de damno infecto; hoc tamen stat, licet ex officio deferat uniligtantium juramentum suppletorium; cum hoc ipso, quòd lis coram ipso mota sit, & ut communiter solet, cum clausula (*peto mihi jus, & justitiam administrari*) imploretur ejus officium; nam ubi actio conceditur, Judex tenetur ex officio mercenario, quod actioni correlativè dicitur; ergo agendo imploratur, seu postulatur; nam *postulare* propriè hoc dicimus, *pro tribunali petere, non alibi*; & de hac *imploratione*, seu postulatione procedit lex 4. cit.

2135. Quæstio autem ulterior est, in quibus causis Judex partibus deferre non possit juramentum litis decisivum; Regula est, quòd deferre possit in omnibus causis *non exceptis*; cum hoc jusjurandum sit de genere permissorum; & deducitur ex L. 3. §. 1. ff. h. t. ubi dicitur: *quacunque actione quis conveniatur, si juraverit, proficiet ei jusjurandum: sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pœnali actione, vel quavis aliâ agatur, sive de interdicto.*

2136. Ex hoc textu videtur deduci, nec causas criminales exceptas esse; cum textus expressè dicat, *ex quacunque actione, sive pœnali, sive quavis aliâ agatur.* Sed, cum in causis criminalibus (nimirum criminaliter, seu ad vindictam publicam, intentatis, præsertim tendentibus ad pœnam

nam corporalem) requirantur probationes luce meridiana clariores, hoc est, non relinquentes Reo ullum adversus eas, iustum & probabile effugium, vel tergiversationem ad se exculpandum, non videtur huic juramento locus in ejusmodi causis; cum revera jusjurandum ab uno adversus alterum non semper inducat veritatem causæ, super qua deponitur. Accedit, quod textus in cit. L. 3. non loquatur de quacunque actione *pœnali*, sed solum intentatam *civiler*, nimirum de actione ex delicto ad pœnam, parti læsæ applicandam, quæ solum est civilis, & pœnæ persecutoria.

2137. In nulla igitur causa, *proprie criminali*, locus est arbitrio Judicis ad deferendum jusjurandum uni litigantium, juris decisivum, nisi fortè, Actore non plenè probante, Judici videatur opus juramento purgationis; nam hoc ei non licet etiam in dubio causæ civilis arduæ; quælibet autem criminalis, *proprie dicta*, gravior est quavis civili etiam ardua; major est in foro recepta, ut notat Haunoldus *tom. 5. tit. 4. n. 1043.* dicuntur autem *ardua*, ac *magne*, quæ tangunt majorem partem bonorum, ut colligitur ex c. 1. *de restit. spo. liat. in 6.*

2138. An excipiantur causæ pecuniariæ? dubium est inter Doctores; non posse deferri Actori juramentum in talibus causis, tradit Menochius de Arbitrar. casu 464. n. 6. affirmant alii, si is, cui deferretur, semiplenè probavit, ex L. 3. §. 1. *ff. de jurejurand.* relatâ superius; an deferri possit à Judice in causis matrimonialibus? communis respondet negativè, ex c. *Mulier* 34. ubi ubi Gregorius IX. Mulieri, inquit, quæ in jure præstito juramento asseruit, virum talem in ipsam per verba præsentis matrimonialiter consensisse, probationes alias non habenti, viro ab ejus impetitione per sententiam absoluto, nec debes licentiam dare cum alio matrimonium contrahendi, ne auctor perjuri videaris: nec hoc ei dicimus prohibendum: ne fortè, si falsum juraverit, matrimonium contingat legitimum impediri: sed suæ conscientie est potius relinquenda; cum enim etiam sponte præstito juramento in dato casu delatum non sit, propter arduitatem causæ (ne alter invitus cum ea vivere teneatur, & difficiles exitus invita matrimonia plerum-

quæ habeant) meritò in tali casu locus non datur juramento litis decisivo, à Judice ex officio deferendo. Præter causas criminales, matrimoniales, in quibus juramentum suppletorium Actori deferri non potest, ut dictum est, excipiuntur etiam causæ famosæ; sic Barbol. *in c. 2. de probat. numer. 48.* Layman *l. 3. Summa, tr. 3. c. 5. n. 2.*

ARTICULUS V.

De juramento in litem.

Juramentum in litem, seu affectionis (ut notavimus à n. 2007.) definitur juramentum, quo res, in judicium deducta, æstimatur, & contingit, cum quis jurat, se tanti æstimare, sibi non esse restitutum, quod pars adversa restituere jubebatur, aut res dolo ejus periit, valore non aliundè probabili nisi ex juramento Creditoris, & Actoris; unde per *litem* hic non intelligitur *judicium*, sed *res, & interesse*, in judicium deducta; hinc istud juramentum fieri potest etiam extra judicium; modò fiat deferente Judice; propter quod reducitur ad juramentum *necessarium*.

Hoc juramentum dividitur in juramentum *affectionis, & veritatis*; illud est, cum quis jurat æstimando rem secundum suam affectionem, quam erga talem rem habet, ultra realem illius valorem, v. g. commodavi tibi Codicem aliquem, mihi valde charum, quem, si tu contumaciter restituere recusas in judicio condemnatus, potest deferri mihi juramentum in litem, quo æstimem, talem Codicem fortè 20. aureis, cum in se solum valeret, & communiter solveretur tribus; & hoc in pœnam contumaciæ: istud, quo juratur æstimando rem secundum valorem, quem habet, seclusâ omni speciali affectione.

Not. autem cum ista juramenta tendant ad restituendum *interesse*, aliud esse *interesse commune*, quod scilicet non distinguitur à valore, ut, si repetam à te mihi restitui æstimationem libri, à me tibi commodati, qui dolo tuo interiit. Cum enim tali casu sæpe probari non possit valor libri, quem habet secundum se (puta, si nemo eum aliàs vidit, vel novit, aut æstimare scivit) conceditur juramentum

in litem ad veram rei æstimationem, quin Actor indigeat aliâ probatione; quæ tamen æstimatio per juramentum ejus à Judice deferenda est, *arg. L. 5. §. fin. ff. h. t. ibi: planè interdum in actione stricti iudicii in litem jurandum est, veluti, si promissor Stichum moram fecerit, & Stichus decesserit, quia Judex æstimare sine relatione jurisjurandi non potest rem, quæ non extat.*

2142. Cùm autem quandoquæ Actor prosequatur interesse aliud, nimirum *non commune*, & intrinsecum, sed id, quod est extra ipsam rem, quæ in litem deducta est (puta si mihi non restituas pecuniam, apud te depositam, & inde mihi nascitur damnum, v. g. quia propter hoc distractum est pignus à me Creditori datum, quo aliàs receptâ pecuniâ redemissim pignus) etiam de hoc interesse datur juramentum in litem; non tamen *affectionis*; quia in pecunia non est affectio; cùm certa sit pecuniæ æstimatio; adeoque solum *veritatis*; quibus positis:

2143. Questio 1. est, à quo deferri possit juramentum affectionis? 2. quibus? 3. contra quem? 4. in quibus actionibus? 5. quem effectum habeat juramentum affectionis? Ad 1. Resp. posse à solo Judice, sive ordinario, sive delegato; deferitur enim in pœnam doli, & contumaciæ; pars autem partem collitigantem punire non potest; sed solus Judex; & ideo etiam L. 4. §. 1. ff. de in litem jurando, dicitur: *deferre jusjurandum judicem oportet*; cæterum, si alius detulerit juramentum, vel, non delato, juratum sit, nulla erit religio, nec ullum jusjurandum. Not. autem, quandoquæ Judicilicere, negare hoc juramentum, nimirum, quando res adhuc extat, quam alter contumaciter tenuit restituere; tali enim casu etiam militati executione cogi potest contumax ad reddendum; secus, si non amplius extet; tunc enim pertinet ad officium Judicis, petenti deferre juramentum in litem; & sub hac distinctione accipiendæ sunt. 1. cit. L. 4. §. 2. dicens *in arbitrio esse Judicis, deferre jusjurandum, necne*; & L. 5. §. 1. ff. eod. dicens: *licuisse, & à primo (seu principio) non deferre.*

2144. Ad 2. Resp. ex L. 7. ff. h. t. vulgò *presumi*, alium in litem non debere jurare, quàm dominum litis; ubi additur: *deni-*

quæ Papinianus ait, alium non posse jurare, quàm eum, qui litem suo nomine contestatus est; quod tamen intellige, ut hic voce domini litis etiam veniat is, qui iure loco domini habetur, ut Tutor loco pupilli; Curator loco Minoris; quamvis enim isti ad jurandum cogi non possint in ejusmodi casu; si tamen ex affectione erga commissos tutelæ, vel curatelæ jurare voluerint, auctoritatem juris non refragari per L. 4. in princip. ff. de in lit. jur. Si dicas: ergo etiam Procurator jurare poterit in litem; nam hic contestando fit Dominus litis. Resp. negando illatum; nam in dicta L. 7. Dominus litis dicitur, cujus negotium agitur, atque adeò, ad quem commodum, & incommodum spectat; Procurator autem hoc sensu non est Dominus litis; quamvis contestatione litis fiat Dominus litis solum fictione juris ad hunc effectum; *ut in eum feratur sententia.* Ut autem quis capax sit, cui deferatur juramentum in litem, requiritur, & quòd sit Dominus litis; & quòd suo nomine contestatus sit litem; neutrum habet Procurator; non primum, ut dictum est; non secundum, quia non suo, sed principalis nomine litem contestatur. Sed nec Matri deferri posse, constat ex cit. L. 4. ibi: *sed nec matrem pupilli admittendam.*

2145. Ad 3. Resp. cùm deferendum est juramentum affectionis, deferendum esse contra Reum, non tamen qualemcunque, sed eum solum, qui rem restituere condemnatus, ob dolum vel non restituit, vel non exhibet, cùm possit; vel dolo fecit, quò minus restituere, aut exhibere possit; nam, cùm pretium, quod juranti solvendum est, non pendeat ex præcisa affectione, ut dicemus à n. 2149. sed ex valore rei, & contumacia, secundum quod hæc merito puniri potest, ubi dolus non intervenit ex parte Rei, contra talem Reum justè concedi non potest, ut videtur colligi ex L. 4. §. fin. ff. de in lit. jur. ibi: *ex culpa non esse jusjurandum deferendum constat; sed æstimationem à Judice faciendam*; & L. 5. §. 2. ff. eod. ibi: *sed in his omnibus ob solum dolum in litem juratur; non etiam culpam; hæc enim Judex æstimat.* Consent tamen aliqui, posse concedi contra Reum, qui quidem dolum formalem non commisit; sed tamen la-

tam culpam, vi cuius factum est, ut rem petitam restituere, vel exhibere non possit; probantes 1. per sensum contrarium L. 2. C. eod. ibi: *si vero neque dolo, neque culpa, neque fraus heredis convincitur, omiſſa jurisjurandi facultate Judex de veritate cognoscet.* 2. leges contrarias exponendo, quod loquantur more usitato juri, per culpam sine addito intelligendo culpam *levem*. Sed contrarius sensus in multis fallit, præsertim, quod illi clara lex opponatur, ut hæc, ibi: *ob dolum solum in litem juratur*; ergo non ob culpam etiam *latam*, quæ dolo caret; ex quo etiam habetur in hoc casu culpam non accipi more aliâ usitato, pro culpa solum *levi*; sed *quavis aliâ, non dolosa, vel fraudulenta*. Dixi, *solum ob dolum*; sed an sufficiat solum *presumptus*? etsi non desint affirmantes; videtur tamen probabilius negandum; nam culpa lata est dolo *presumptus*; at ob nullam culpam, etiam *latam*, deferri potest hoc juramentum; sed solum *ob dolum*; ut dictum est; ergo dolo etiam *presumptus*, non est *dolus*, nisi cum addito; textus autem loquitur *de dolo solum*, simpliciter, & sine addito. Cùm autem tertius possessor rei, pro cuius restitutione, vel exhibitione Actor petit, sibi deferri juramentum affectionis, rem possidet, sine dolo, vel contumacia, contra illum Actori deferri non debet, nec justè potest juramentum affectionis; cùm hoc, ut dictum est, *in eo*, contra quem conceditur, supponat dolum, & contumaciam *in non restituendo*, cùm deberet. Unde licet ille tertius dolo rem acquisivisset; si tamen prius, quàm condemnaretur ad eam restituendam, sine dolo eam amisisset, contra illum non rectè deferretur hoc juramentum; si tamen dolo desisset possidere, argueretur, nolle restituere.

2146. Ad 4. Resp. quamvis L. 5. ff. de in lit. jur. dicatur: in actionibus *in rem*, & in *ad exhibendum*, & *in bona fidei judiciis*, in litem jurari: nonnullis tamen videri rem tradi non satis explicatè. Quare not. I. juramentum in litem concedi, quando agitur vindicatione contra Reum contumacem, & dolosè non restituentem, ut habetur L. 68. ff. de rei vindicat. ibi: *qui restituere jussus, judici non pareret, contendens non posse restituere: si qui-*

dem habeat rem, manu militari, officio judicis, ab eo possessio transferitur: & fructuum duntaxat, omnisque causa nomine condemnatio fit: Si vero non potest restituere: (si quidem dolo fecit, quo minus possit) is, quantum Adversarius in litem, sine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus est; si vero nec potest restituere, nec dolo fecit, quo minus possit: non pluris, quàm quanti res est, id est, quanti Adversarii interfuit, condemnandus est: hæc sententia generalis est, & ad omnia, sive interdicta, sive actiones in rem, sive in personam sunt, ex quibus arbitrato judicis quid restituitur, locum habet.

Ex hac lege, & regula universali deducitur, juramentum in litem dari etiam in vindicatione Universitatis, vel totius hæreditatis, aut partis ejus; quod specialiter etiam habetur in L. 25. ff. de petit hæredit. §. 10. deinde cum servitus petitur, L. 7. ff. si servitus vindicetur; tertio in actione hypothecaria, vel pignoratitia, L. 16. §. 4. ff. de pignorib. quarto in actione de dolo, vel quod metus causa. L. 18. ff. de dolo malo; ac demum in omnibus actionibus bona fidei; sive tendant ad restituendum, sive ad dandum; cùm aequitati naturali valde consonum sit, ut coercerentur omnes, qui rumpunt datam fidem, *ex contumacia & dolo*, quæ ratio videtur insinuari etiam ab Ulpiano L. ei, apud quem, ff. depositi: dicente: in iudicio *depositi* contrario, in litem non jurari, *quoniam de fide rupta non agitur.*

Ad 5. Resp. effectum hujus juramenti (nimirum affectionis in litem) dici, quod Reus in summam juratam, etiam gravem, condemnari debeat, nisi Judicis arbitrio minor taxetur, aut ex alia rationabili causa à condemnatione abſtineat, habetur ex L. Videamus 4. ff. de in litem jurand. §. 2. ibi: *jurare autem in infinitum licet*; sed an Judex modum jurijurando statuere possit: ut intra certam quantitatem juret, ne, arrepta occasione, in immensum juret? quæro; & quidem in arbitrio esse Judicis, deferre jusjurandum, necne, constat. *An igitur, qui possit jusjurandum non deferre, idem possit & taxationem jurijurando adjicere? queritur: arbitrio tamen bona fidei Judicis etiam hoc congruit; & §. 3. ibi: item videndum, an possit Judex, qui detulit jusjurandum,*

2147.

2148.

NON

non sequi id; sed vel prorsus absolvere, vel etiam *minoris condemnare, quam juratum est*; & magis est, ut ex magna causa, & postea repertis probationibus possit. Ex his juribus habetur, ne Actor in immensum juret (nimium videlicet titulo suæ affectionis ad ejusmodi rem) Judicem ei modum statuere posse, ut intra certam quantitatem juret, ut constat ex cit. §. 2. imò Judicem quandoque posse non sequi æstimationem Actoris, ut habetur L. in actionibus §. ff. eod. ibi: *in actionibus in rem, & in ad exhibendum, & in bona fidei judiciis in litem juratur. Sed Judex potest præsumere certam summam, usque ad quam juretur: licuit enim & à primo nec deferre*; Item, & si juratum fuerit, *licet judici vel absolvere, vel minoris condemnare.*

2149.

Advertendum autem, contra juramentum in litem admitti probationem adversæ partis; Carpov. p. 1. Const. 15. defin. 9. Advert. 2. rei pretium, seu æstimationem, super qua juratur, non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed ex communi judicio desumenda esse, saltem plerumque, & per se loquendo, ut colligitur ex L. 33. ff. ad L. Aquiliam, ibi: si servum meum occidisti, non affectiones æstimandas esse puto (veluti, si filium tuum naturalem quis occiderit, quem tu magno emptum velles) *sed quanti omnibus valeret.* Sextus quoque Pedius ait, pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungi; itaque eum, qui filium naturalem possidet, non eo locupletiore esse, quòd eum plurimo, si alius possideret, redempturus fuit; nec illum, qui filium alienum possideat, tantum habere, quanti eum Patri vendere posset: lege enim Aquiliam damnum consequi potuimus, aut erogare cogimur; quòd idem repetitur L. 63 ff. ad Leg. Falcidiam; & L. 6. §. 2. ff. de operis servorum dicitur, ibi: *item voluptatis, vel affectionis æstimatio non habebitur, veluti si dilexerit servum Dominus, aut in deliciis habuerit.*

2150.

Ex his juribus habetur, quando alicui conceditur juramentum affectionis in litem, non esse in rei pretio, quoad ejus taxationem, spectandam præcisè affectionem, neque hoc solo titulo Judicem posse

juranti concedere augmentum pretii vel æstimationis; sed primò determinandum rei valorem secundum se, judicio prudentum; definito taliter valore, adjicere aliquid augmentum in pœnam contumaciæ; ac demum etiam aliquid ex affectione non privato Actoris, sed communi arbitrio; & sic intelligenda sunt jura præcedenti num. allata, secundum quòd cadunt in rei pretium, super quo conceditur juramentum affectionis in litem. Hinc not. juramentum affectionis, super valore rei, restituendæ, vel dandæ, non esse admittendum, ex mero Actoris affectu ad rem; neque illud ex hoc dici juramentum affectionis; sed ex eo, quòd, quando valor rei secundum se resciri non potest, æstimari debeat affectu, regulato communi sensu de valore talium rerum; nam ex hoc juramentum in litem affectionis, differt ab altero, quòd est veritatis. Ex hoc habetur, quòd taxa rei, super qua fit juramentum affectionis in litem, accipienda sit non tantum ex valore rei secundum se; sed etiam secundum id, quòd à Judice adjicitur in pœnam contumaciæ; nam, si res, cujus valor in se, non scitur, communi prudentum arbitrio æstimetur 100. florenis; & Judex in pœnam contumaciæ adjiciat 50. æstimatio rei (secundum quòd subjicitur juramento affectionis) erit 150. floren. & sic intelligitur, quòd dictum est L. 1. ff. h. t. ibi: *non enim res pluris fit per hoc, sed ex contumacia æstimatur ultra rei pretium*; & L. 8. ibi: *non est æquum, pretio (id est, quanti res est) rem æstimari; cum & contumacia punienda sit*; & arbitrio potius Domini rei pretium statuendum sit, potestate petitori in litem juranti concessa. Unde, licet verum sit, quòd res non fiat pretiosior, nec pluris æstimetur, ex contumacia, ex dict. L. 1. nec etiam ex condemnatione propter contumaciam, ut habetur in ead. L. 1. ibi: *rem in judicium deductam non idcirco pluris esse opinamur, quia crescere condemnatio potest ex contumacia non restituentis per jusjurandum in litem*; non enim res pluris fit per hoc, sed ex contumacia æstimatur ultra pretium; ex hoc tamen non sequitur, quòd non possit in litem jurari juramento affectionis super majori summa, quam sit pretium rei; cum etiam ex contumacia æstimetur (seu taxetur summa

ma

ma juranda) ultra pretium rei, arbitrio Judicis, sic, ut in summam jurandam veniat & pretium rei, æstimatione petitoris ex communi judicio; & pœna contumaciæ Judicis arbitrio, prius definienda, ut colligitur ex allatis juribus.

2151. Illud etiam annotandum, prius, quàm Actori concedatur juramentum in litem propter contumaciam Actoris, recusantis dare, vel restituere, quod ab Actore in judicio petitur, à justo Judice considerandum, an ea res revera talis sit, quæ Actori, vi causæ ipsi adjudicatæ debeatur aliquo justo titulo, Reum obligante, ad rem illam Actori tradendam; aliàs enim, si deficiat justus titulus debendi, juramentum in litem nullum producet effectum; sic enim in Reo nulla erit contumacia, contra debitum nullo justo titulo fundatum. Casus evenit, quo Titius in causa feudali agebat contra Caium, de certo Dominio ad se devoluto; pronuntiatum fuit contra Caium, ut illud Titio cederet cum omnibus appertinentiis ad illud Dominium. Sub hoc Titius exegit à Caio sibi etiam tradi manuscriptum aliquod paucarum phyletarum privata manu Caii ad suam solius directionem industriam propriam confectam pro variis casibus occurrentibus circa subditos, & jura sua, quæ, dum esset in possessione illius feudi, observatione didicerat, cum aliis annotationibus de rebus, & actionibus personam suam concernentibus. Recusabat hoc, Titio consignare Caius, quod non esset aliquid, jure pertinens ad dictum Dominium, Titio cedendum; cum ad nihil (præter instrumenta, Urbana, & reliqua documenta omnia, eò pertinentia) de privatis rebus suis, annotationibus, & chartis, judicio sui Advocati, vi sententiæ, teneretur; urfit restitutionem Actor, obtinuit juramentum affectionis super 4. millibus floren. & Caius in iisdem condemnatus fuit.

2152. Quæsitum fuit, an jure? Videri poterat, quòd sic; quia, cum scriptum illud contineret plura, quæ ad directionem Actoris esse poterant in hujus commodum in ordine ad Dominium utiliter usurpandum, prout hoc habebat Caius; magno emolumento, pretio æstimabili, privatus fuit per contumaciam Caii; & quia valor ejus in se, resciri non potest.

Tom. II.

terat, meritò ex affectione taxandus erat; quare Caio persistente in contumacia, meritò res definiri poterat juramento in litem; & eo præstito, in dicta summa condemnari Caius: negativam tamen multò rectius amplexi sunt plures Viri sapientes non solum Theologi, sed etiam Jurisconsulti, quòd in ordine ad hoc manuscriptum, Titio consignandum, nullus esset justus titulus debendi; vi sententiæ ad nihil tenebatur Caius, nisi ad cedendum Dominium cum omnibus jure appertinentia ad tale Dominium; ex eo enim, quòd contineat privatas quasdam annotationes, ex mera industria Antecessoris, in suum commodum factas *merè liberè*, non potest dici *jure appertinens*; aliàs à quovis alio chartæ, ac codicilli, seu libelli, ejusmodi annotationes circa illa bona contingentes jure exigere potuisset Titius, quod sano judicio dici non potest; nec obstat, quòd Titio fuisset utile; ex hoc enim non ostenditur *debitum*, aut justus titulus debiti; nam & allodialia Caii, forent Titio utilia, præsertim immixta, vel vicina bonis illis feudalibus; accedit, quòd Reus non teneatur edere instrumenta, unde novæ lites in suum detrimentum ab Actore, præsertim tali (erat enim ex primis Ministris in Tribunali, ubi causa agebatur, &c.) suscitarentur potentiæ Actoris, ut constat ex dictis, maximè tunc, quando plura privata, Rei acta, scriptum tale continet; quæ Actoris odio in sinistram partem, Procuratoris calliditate, detorqueri possunt; at hoc erat in præsentem casu. An porò æstimatione in tantum taxata, pro re prorùs accidentaliter feudo, & justè omisso à Caio, jure fieri potuerit, in negativam iidem multò rectius abiverunt, ut consideranti patebit.

ARTICULUS VI.

De juramento Veritatis, & Malitiæ.

Quid sit juramentum veritatis in litem, & in quo differat à juramento affectionis, constat ex n. 2150. Circa

Bbbb

Circa

Circa hoc iuramentum dubitatur. 1. an à solo iudice deferri possit? 2. in quibus actionibus, seu causis? 3. contra quem? 4. an si aliundè resciri possit valor rei? 5. secundùm quod tempus aestimatio rei facienda sit? 6. an liceat impugnare iuramentum semel emissum? Ante resolut. not. 1. quòd hoc iuramentum non tendat ad puniendam contumaciam Rei; sed solùm recipiendum interessè Actoris, & cavendum, ne Actor plus petat à Reo, ac valeat res, quam hic & nunc ex debito restituere deberet, sed non potest; 2. distinguendum esse inter impotentiam restituendi rem Actori debitam, quia non extat amplius, vel ex toto, vel ex parte, puta, si deterior facta sit; nimirum an hoc contigerit post sententiam condemnatoriam culpa Rei, sed sine dolo; an verò ante condemnationem? quibus positis:

2154. Ad 1. Resp. posse deferri etiam à parte, seu ab Actore ipsi Reo; nempe si Actor ei deferat, ut iurem, rem illam tanti, & non pluris valere; sicut id potest in alio iuramento judiciali. Neque utget paritas, desumpta à iuramento *affectionis*, quod deferri potest Reo à solo Iudice, secundùm dicta n. 2143. nam ex eod. num. patet discrimen; in *iuramento enim affectionis* non solùm agitur ad interessè Actoris; sed etiam ad puniendam Rei contumaciam per n. 2145. solus autem Iudex punire potest: secus autem est in *iuramento veritatis*, ut dictum est præced. num. nam hic rei valor in se consideratur; ibi, ex affectione, quæ subest pluribus damni periculis, & consequenter contumacia plus nocet.

2155. Ad 2. communis tenet, quòd in omnibus undecunquè nascentibus; constat ex L. 68. statim citandâ, §. *fin.* ibi: *hac lex*; Ad 3. deferri contra Reum, qui post condemnationem culpâ suâ, sed sine dolo, factus est impotens, rem petitam restituere; sine respectu ad tempus; & culpam, vel dolum ante condemnationem; habetur ex L. qui restituere. 68. ff. de Rei vindicat. ibi: qui restituere iustus iudici non paret, contendens, non posse restituere: si quidem habeat rem, manu militari, officio iudicis, ab eo possessio transfertur: & fructuum duntaxat, omnisquè causæ nomine condemnatio fit: Si verò

non potest restituere: si quidem dolo fecit, quo minus possit; is, quantum Adversarius in litem sine ulla taxatione infinitum iuraverit, damnandus est: *Si verò nec potest restituere, nec dolo fecit, quo minus possit: non pluris, quàm, quanti res est, id est, quanti Adversarii interfuit, condemnandus est.* *Hac sententia generalis est: & ad omnia: sive interdicta, sive actiones in rem, sive in personam sint, ex quibus arbitrari iudicis quid restituuntur, locum habet.*

Ad 4. Resp. quòd in eo casu non sit locus iuramento veritatis, per §. 4. L. 5. ff. de in lit. jurand. ubi ratio redditur, cur locus sit huic iuramento? *quia Iudex aestimare, sine relatione iuramenti, non potest rem, quæ non extat; ergo cessat, ubi sine relatione iuramenti res, quæ non extat, aestimari potest; at hoc contingit, ubi ius valor aliundè resciri potest.* Ad 5. Resp. si quæstio intelligatur de rei aestimatione quoad valorem, qui quandoquæ varius est, id determinandum secundùm valorem, quem habuit eo tempore, quo cepit obligatio restituendi ex condemnatione, per quam Reus constituitur in mala fide iudicè; nam secus, non restituendo prius, non egit contra obligationem iudicialem; quam vis & illud damnum, quod re non restituta post condemnationem, occasione restitutionis culpabiliter non facta, Actor passus est, compensandum illi sit, sed alio titulo, quo nimirum tenetur morosus debitor; quod etiam dicendum de damno antecedente condemnationem, si non sit computatum in summam, super qua juratum est. Ad 6. Resp. quòd sic, si debitor probet, juratum esse ultra iustum rei pretium, seu valorem; unde licet post summam à se taxatam, & ab Actore juratam, non possit revocare suam taxationem; stare tamen potest, quòd taxatio excefferit iustum pretium, possitquè diminuerè excessum.

De iuramento *malitiæ* plurimum jam exposuimus in titulo de Iuramento calumniæ. Nam de illo quæri potest. 1. in quo propriè consistat? 2. in quo differat à iuramento calumniæ? 3. an à iuramento veritatis? 4. quando præstetur? 5. an sæpius exigi possit? 6. an præstetur super toto processu? 7. an in causis tam profanis, quàm spiritualibus? 8. in qui-

quibus causis specialiter in jure agatur de hoc juramento? 9. an sit juramentum assertionis? 10. an præstandum sit in judicio coram Judice? Ad 1. Resp. consistere in eo, quod juretur ab eo, cui imponitur, *se nihil malitiosè proponere, vel ab Adversario petere, aut fallaces, vel exceptiones, aut dilationes solum protelandæ litis causa, adducere, opponere, sectari*, ut diximus n. 691. & 713. Ad 2. Resp. quamvis sit species quædam juramenti calumniæ; & ob id etiam vocetur *speciale* juramentum calumniæ, ut diximus n. 713. differre tamen in pluribus, relatis à num. 691. Ad 3. Resp. id constitutum ex responsione ad 9. Ad 4. Resp. præstari etiam ante litem contestatam ex n. 691. & textu c. 2. mox citandi; Ad 5. Resp. quod sic, quoties nimirum Judici videtur, etiam si de calumnia, vel veritate juratum sit, ut deciditur in c. in appellationis. 2. §. in omnibus, de juramento calumniæ in 6. ibi: *in omnibus autem causis, nedum ante, sed etiam postquam lis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumnia sit juratum in ipsis: potest Judex à partibus exigere juramentum malitiæ, quoties viderit expedire.* Ad 6. Resp. posse, non tamen necessariò id fieri debere, sed posse super particularibus etiam punctis, in quibus est justa suspicio malitiæ; Ad 7. Resp. quod sic, ex cit. c. 2. ibi: *in omnibus causis, & constat ex n. 691.* Ad 8. Resp. hujus exempla plura referri à n. 694. Ad 9. Resp. negativè juxta dicta n. 713. Ad 10. Resp. affirmativè, ex eod.

ARTICULUS ULTIMUS.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

2158. **Q**uestio 1. est, de juramento purgationis, seu innocentia? de hoc agitur in c. fin. §. sanè h. t. ubi dicitur, sive Actor nihil omnino probaverit, Reum esse absolvendum, licet nihil præstiterit; si tamen ille præsumptionem pro se habeat, Reo juramentum deferri posse ad sui purgationem, sive ad ostendendam innocentiam, nisi Judex, consideratis circumstan-

Tom. II.

tiis causæ, ac personarum existimet, illud Actori potius deferendum. Cæterum, huic juramento locus est in causis civilibus, & delictis, in quibus ad torturam perveniri non potest, tamen si gravia sint, quando desunt indicia sufficientia; secus, quando adsunt, & persona non est privilegiata. Ratio primæ partis est; quia si negaretur illi eo casu juramentum purgationis, probatione ipsum convincente super delicto non præstita, negaretur illi remedium, probandi suam innocentiam, quam, ut supponimus, aliter probare non potest; consequenter citra justam defensionem relinqueretur, Adversario nihil, vel saltem non convincenter probante, quod est contra naturalem æquitatem; ratio secundæ partis est; quia in tali casu non debet eligi medium, valde periculosum, & incertum præ certo, à juribus concessio, & constituto: atqui juramentum purgationis esset medium longè incertius; quilibet enim Reus recusaret torturam, & eligeret juramentum purgationis, quando jam animum firmavit, quod delictum nolit confiteri; & sic esset periculum perjurii, & delictum maneret impunitum. Not. tamen, Reum, qui recusat juramentum purgationis, & offert se ad probandam innocentiam, sine tali juramento, audiendum esse; cum possit habere justas causas utendi medio, sibi à jure concessio ad probandam suam innocentiam; cum notam criminis, quantumvis innocenti objecti, apud homines non sic expedite tollat juramentum, præsertim pronos suspicari perjurium; facto autem juramento purgationis Reus definitivè absolvendus est, & quoad causam principalem, & quoad expensas; quia, hoc supposito, plenè probata est innocentia, saltem in foro externo. Cæterum plura de juramento purgationis V. lib. 5. tit. 34. de Purgatione canonica. De aliis juramentis in particulari, puta juramento, egimus supr. tit. 7. de juramento veritatis dicendæ, hoc lib. tit. 19. de Testibus; de juramento veritatis in litem, h. t. à n. 2153. fit etiam mentio in Sacris canonibus, c. Laudabilem de frigid. & malefic. de juramento septimæ manus, prout requiritur ad probandum impedimentum impotentia; & hoc, prout notat Sanchez l. 7. matr. D. 108. num. 11. ut iterum

Bbbb 2

quæ

quæ conjunx fateatur impedimentum, eujuslibet Conjugis septem consanguinei jurent, sibi esse verisimile, Coniuges verum fateri; de quo plura *l. 4. decret. tit. 15. à n. 1261.*

2159.

Quæstio altera est, quam *interpretationem* recipiat juramentum? ante resolut. not. quòd, ubi de obligatione agitur, stricta interpretatio faciendâ sit, ut dicitur *L. quidquid 99. ff. de Verb. obligat.* ibi: *quidquid adstringendæ obligationis est, id, nisi palàm verbis exprimitur, omissum intelligendum est; ac ferè secundum promissorem interpretatur: quia stipulatori liberum fuit, verba latè concipere; & ratio est, quia in odiosis, seu onerosis interpretatio stricta teneri debet, per reg. 15. in 6. & in obscuris minimum est sequendum, per reg. 31. eod. in 6.* Ex his autem deducitur, in dubio, seu incerto, an juramentum omissum se porrigat ad hoc, vel illud, adhibendam esse interpretationem strictam, quantum materia, circa quam versatur, & verba promissionis, aut pacti, cui adjicitur, patiuntur, ut tradidimus *l. 1. tit. 2. de constit. & tenet Abbas in c. penult. h. t. num. 2. Suarez lib. 2. de Juram. c. 32. & alii.* Hinc juramentum, emissum à Prælatiis, Canonicis, & locorum Officialibus, de servandis locorum statutis, & consuetudinibus, non porrigitur ad ea, quæ obviant Sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ libertati, ut dicitur *c. contingit. 1. h. t. in 6.* Similiter juramentum emissum de statutis editis observandis, non porrigitur ad ea, quæ postea edita sunt, vel edentur, *c. Clericus 35. h. t.*

2160.

Quæstio 3. est, qualiter juramentum præstitum circa materiam juris, seu ipsum jus concernentia, interpretandum? Resp. quòd juxta dispositionem juris communis, sic, ut ad eam restringatur, nec ultra eam porrigatur; *c. ad nostram 21. h. t.* ubi dicitur juramentum generale ita intelligi debere, si fieri potest (nimirum ubi contrarium non constat, vel materia substrata non repugnat, aut prorsus inane redditur) ut non obviet juri; aliàs censeri temerarium, & non obligare contra juris observantiam.

2161.

Ex hoc *c.* clarè perspicitur, ipsum etiam Summum Pontificem, in interpretatione juramenti, *benignitate usum*, nimirum, strictè solùm accipiendam materiam ob-

ligationis, præfertim, cum extensio juramenti faceret vel reum perjurii, sed juramenti temerarii. Casus erat: Archiepiscopus Neapolitanus, quasi coactus, juramentum edidit (fortasè à Capitulo suo, ait gloss. magna) quòd judicarium ordinem in omnibus causis servare velit; cum autem hoc juramentum, prout verba sonant, etiam extendi videretur ad causas notorias; juxta canones autem, & Ecclesiasticas traditiones, *in notoriis, seu manifestis, ordo judicarius non servandus sit*: Pontifici non videbatur credibile, quòd Archiepiscopus, jurando, voluerit se obligare, ad agendum contra canones; alioquin non juramentum, sed perjurium edidisset, quòd observandum non esset: idèò Innocentius III. duplicem huic juramento interpretationem adhibuit:

Prima erat, Archiepiscopum ratione juramenti sui, in causis *manifestis*, seu *notoriis*, ordinem judicarium servare non obligari; quia, si penitus res consideretur, cum juravit, *se ordinem juris servaturum*; at verò ordo juris postulet, ut in manifestis causis judicarius ordo non per omnia observetur, videri posset Archiepiscopus ex juramento potius obligari ad non servandum ordinem juris in dictis causis: altera fuit planior, & faciliòr, dicendo, quòd jurare voluerit, servare ordinem judicarium in causis omnibus, in quibus de jure observari debet; secundum hunc intellectum Archiepiscopus & juramentum servabit, & à Canonicis Sanctionibus non recedet. Ex hoc Summi Pontificis factò, meritò plura rectè deduci possunt. 1. in dubio juramentum (idem videtur de aliis dispositionibus) sic interpretandum esse, ut licitè, ac validè emissum sit; non autem, ut temerarium, vel irritum, ut observat gloss. hic, *V. benignius*; & habetur *c. cum tu 16. de Testib.* ibi: cum constet, testes vestros jurasse, quòd *post appellationem*, excommunicationis sententiam tulerit: & Archiepiscopi testes similiter jurasse, quòd *ante appellationem*: Nos dicta testium *benignè interpretari volentes*, ne perjurii reatu notentur (quia utrumquè esse potuit, & quòd *post primam* appellationem, & *ante secundam*, sententia lata fuerit) eandem sententiam decernimus non tenere; & patet ex casu hujus *c.* de quo hic agimus,

mus, ubi Pontifex juramentum, *semper* servandi in omnibus causis ordinem judicarium, tam benignè interpretatus est, ut minimè gravaret jurantem, & ad intelligentiam juris communis acciperetur; & tamen, quantum posset licitum, ac validum haberetur; argumento etiam desumpto ex materia substrata, seu subjecta, in quam cadit juramentum; prout colligitur ex *c. quemadmodum. 25. h. t.*

2162. Hinc fit, quòd, si juramentum editum sit circa materiam juris, seu obligationis præexistentis, ultra eam non extendatur, sed eidem adaptetur, sicut videre est, quando Archiepiscopus juravit, se *in omni causa* ordinem judicarium servaturum esse, respondit Pontifex, interpretandum esse *de omni causa, in qua judicarius ordo de jure requiritur*; & hæc Pontificis doctrina per quam utilis est ad interpretandas capitulationes Episcoporum, quas in electione sui Capituli jurant, ut non extendantur ad impediendam potestatem, & jurisdictionem Episcoporum, quatenus ea à SS. Canonibus stabilita, & definita fuit, sicut exemplis allatis explicat Layman. *l. 4. Summa tr. 3. c. 9. n. 2.* Unde si quis alioquin jure obligatus sit ad quidpiam faciendum, vel omittendum, tunc juramentum accedens non ad aliud se extendit; sed tantum ad ea, quæ sub obligatione juris comprehenduntur: ut proinde intentio jurantis esse censeatur, se nihil illicitum, sive jure inconcessum, attentaturum.

2163. Ex hoc fit, quòd juramentum Episcopi, *de non alienandis bonis Ecclesie*, interpretandum sit *de alienatione illicita*, quæ fit sine causa necessitatis, aut utilitatis; vel *sine requisita juris solemnitate*, ut colligitur ex *c. ult. de Eccles. adif. & docet Innocent. c. cum omnes, de constit. Abbas in c. ut super, n. 15. de rebus Eccles. alien. Sylvester V. juramentum, q. 3.* Deinde, si Episcopus in sui electione verbis generalibus juravit, se *privilegia non daturum sine consensu Capituli*, intelligi debet de concessione privilegiorum *illicita*, sive, quam Episcopus secundum canones, absquè consensu Capituli, facere non potest. Tertio, juramentum Clerici de servanda residentia, non extenditur ad absentiam in casibus jure permissis, *c. 2. de Cleric. non resid.* Quarto, juramentum de

servando *secreto*, sive non revelandis iis, quæ in Capitulo, Concilio, &c. tractantur, intelligitur, quatenus materia Secretum postulat; ita, ut, si magni momenti existat, & valdè intersit, non evulgari, ejus evulgatio mortalem etiam culpam contra religionis virtutem, propter violatum juramentum, contineat; si autem res levis sit, solum venialem; denique nullam, si evulgatio nullum omnino incommodum afferre possit; vel in iis casibus, quibus commissum Secretum revelare, ad impediendum majus malum, communi jure concessum est; qua de re gloss. & Abb. in *c. ergo, de jurejur.* Sylvest. *V. juramentum 4. q. 28.*

Quinto juramentum *servandi statuta* alicujus Collegii, Universitatis, alteriusve Communitatis, intelligitur secundum differentiam statutorum, intentionem legislatoris, & loci consuetudinem, communemque interpretationem; Sexto, juramentum Ministri publici, jurantis, se contentum fore stipendio, lege taxato, item Mercatores, Pistoris, si jurent se servaturos taxationem pretii, ponderis, &c. intelligitur, dum taxatio justa fuerit; non item, si constet, injustam esse; Sanchez *l. 4. in Decal. c. 14. n. 5.* Septimo, qui juravit, se pariturum mandatis Ecclesie, eo non obstante, à lata sententia appellare potest, sicuti ei jure communi concessum est, secundum gloss. communiter receptam in *c. prout nobis, cautionem, de dolo, & contumac.* Octavo, juramentum bonæ fide præstitum, non est extendendum ultra intentionem jurantis, verisimiliter præsumendam; ita docet S. Thom. *2. 2. q. 98. a. 2. ad 3.* & Canonistæ in *c. Veniens, cum gloss. V. præscivisset, de jurejur.* Sylvest. *V. juramentum, 4. q. 6.* Azor. *l. 11. moral. c. 11. q. 3.* Sanchez *c. 17. n. 1.* Suarez *l. 2. c. 11. n. 12.* & alii, cum ajunt, quòd juramentum non sit extendendum ad incognita, sive quæ jurans in specie non cogitavit, & quæ in mentem, si venissent, verisimiliter excepisset; &c. Hæc confirmari possunt ex *c. Veniens 16 h. t.* ubi dicitur, in *generali*, & jurata promissione, non venire illa, quæ aliquis, si in mentem venissent, verosimiliter non promississet, sed excepisset, vel quòd nimis gravia sint, vel honestè impleri non possunt; & ideo etiam juramentum *de pa-*

rendo mandatis alterius, intelligi debet, si mandet, quæ iusta sunt; & quæ sine peccato, & alterius præiudicio impleri possunt, ut docetur etiam in c. *Quinta vallis*. 23. h. t. ita S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 2. ad 3.

2164.

Idem habetur in cit. c. *Quintavallis*, ubi Pater, cuius filiarum alias mulieres contumeliis affecerunt, pro satisfactione, læsis danda, juramento promisit, se ipsarum mandato parere velle, à Pontifice pronuntiatum est liber à parendo in his, quæ mandaverunt illicita, & jure non permessa, nimirum *filias exheredare, ac uxorem à se removere*; & c. *Petitio* 31. eod. ubi similiter pronuntiantur liberi ab obligatione juramenti, facti à Canonicis Ecclesiæ Antiochenæ, Principi civitatis, quod contra ipsum agere nolint, si extendatur etiam ad casum, & intelligatur, quasi pro iuribus Ecclesiæ, imò propriis ac singularibus legitimè defendendis contra Principem stare non possint, sed intelligi debere, quòd abstinendum ipsis sit à machinatione omni, per quam læsio Principis personæ, aut principatus eius inferretur.

2165.

Quarta quæstio est, quomodo intelligendum veniat, quod communiter dicitur, *juramentum sortiri naturam, & conditiones promissionis, contractus, vel actus, cui adjungitur*, consequenter etiam juxta illas intelligendum esse? Resp. hanc quæstionem à nobis resolutam esse superius à n. 2032. ubi diximus, quòd juramentum *quoad sensum*, seu materiam, supra quam cadit, sortitur naturam, & conditiones contractus, vel actus, cui adjungitur, communis doceat; & colligitur ex c. *Quemadmodum* 25. h. t. quia juramentum pendet ex intentione jurantis; ergo non obligat, nisi juxta jurantis intentionem; ergo ad id obligat, quod intendit jurare; at jurans, se daturum, vel facturum, non intendit aliud jurare, quàm promissum sit; nec alio modo; ergo juramentum accommodatur promissioni, vel contractui, cui adjicitur, ejusquæ naturam, & conditiones sortitur, quoad materiam, sive id, quod juratur.

2166.

Contrarium autem plures sentiunt, *quoad obligationem*, non propterea etiam juramentum jure nullum esse *quoad obligationem*, si materia de se non sit illicita, & ex parte jurantis licitè præstari possit; & ita

etiam tenet Pirhing *de jurejurando*, num. 114. ubi ait: juramentum accommodari actui, cui conjungitur, *quoad materiam*, non autem, *quoad obligationem*, sive effectum juramenti: quo posito rationem dat, quia scilicet juramentum, adjectum promissioni, vel contractui, non auget ejus obligationem *extensivè*, ita, ut vi juramenti, non ad plus obligetur jurans, quàm teneatur, vi promissionis, vel contractus, qui circa idem objectum versatur: ideoquè cessante obligatione promissionis, vel contractus, cessat etiam obligatio juramenti; quia accessorium, quale est juramentum, sequitur naturam principalis, cui adjungitur, juxta *reg. juris*. 42. in 6. & corrueute principali, etiam corrui, nec subsistit accessorium, *L. nihil* 109. ff. eod. auget tamen juramentum obligationem actus, cui accedit, *intensivè*; quia intra limites ejusdem objecti, novam obligationem ex virtute Religionis ei superaddit.

Sed, ex hac ratione, per dictum Authorem allata, quando dicit, *cessante obligatione promissionis, vel contractus, cessare obligationem juramenti*, videtur sequi, quòd juramentum *etiam quoad obligationem* sequatur naturam, & conditionem promissionis, vel contractus; quod tamen non admittit; unde videtur exponendus, quòd etiam cesset obligatio juramenti *quoad rem*, seu materiam, quando promissio, cui conjungitur, se non extendit, quoad talem rem, seu materiam; & hoc propterea, quòd intentio jurantis obligandi se per juramentum ad rem, seu materiam promissam, non feratur ultra id, quod promittitur; opponi tamen possit, unde habeatur, quòd intentio jurantis feratur in rem promissam, animo se ad illam per juramentum obligandi, etiamsi nulla nascatur, vel proveniat obligatio *ex vi promissionis*? non enim est dubium, eum posse habere intentionem oppositam; quòd autem habeat priorem intentionem (qua posita omnino juramentum quoad obligationem non sequeretur promissionem, cui conjungitur, si hæc nullam pareret obligationem) Pirhing nulla ratione, vel lege probat.

Et quamvis alii hoc nitantur suadere per diversas instantias, quas afferunt, ut retulimus n. 2034. ad eas tamen ibidem respon-

respondimus, facta distinctione juramenti *per sestantis*, & *merè accessoris*, ut rectè tradunt alii; consequenter communis doctrina procedat de juramento *per sestante*; non autem *merè accessorio*, ut diximus à n. 2035. Quòd autem juramentum pendeat ex intentione jurantis, rectè colligitur ex dict. c. *Quemadmodum* 25. h. t. ubi dicitur, quòd non obstante juramento Viri, in contractu matrimonii facto mulieri, (quòd eam semper pro legitima Uxore teneret, non obstante ejus fornicatione, quam antè commiserat) pro fornicatione tamen, quam postea perpetraret, eam dimittere posset, non obstante hujusmodi juramento, *quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, si videlicet illa in legem Conjugii non peccaret*; ita, si quis juravit, se ducturum aliquam in Uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequenter, ut illam non ducat in conjugem: quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit, &c. ergo etiam fieri potest, quòd quis intendat, se non obligare juramento, si promissio non tenet; sicut, quòd non intendat se obligare juramento ad cohabitationem, & thorum, si hanc mulier violet, esto utrobique juramentum sit promissorium, si promissioni sit merè accessorium, ut exposuimus à n. 2035.

2169. Quinta quaestio est, quæ conditiones tacite insint juramento? agimus de illis, quæ *generaliter* insunt cuilibet juramento promissorio, tametsi non exprimantur. Prima est, *si potero*; nam, si quis etiam promitteret, esto rem promissam præstare non valeret, nihil ageret; nemo enim obligatur ad impossibile; de quo ex professo egimus l. 4. tit. 5. de conditionibus appositis, à n. 834. Quare juramentum, quòd impleri non potest *ex necessitate*, non tenet; & ideo in c. *querelam* 10. h. t. Clericus non propterea rejeclus est à regimine Ecclesie, quòd venerit contra suum juramentum *necessitate*; sed, quia *voluntate*, nimirum nolens, cum posset, & deberet. Altera conditio, quæ similiter inest generaliter juramento promissorio, est, *si licite potero*; nam juramentum non est vinculum iniquitatis, hoc est, non obligat ad illicita; quem porro effectum operentur

conditiones tam in desponsationibus, quam ultimis voluntatibus, & aliis contractibus, diximus cit. l. 4. tit. 5. à num. 823.

Tertia conditio est, *salvo jure, & auctoritate Superioris*; nam secus esset de re illicita; constat ex c. *Venientes* 19. h. t. de quo jam egimus alibi; idem videtur dicendum de conditione: *salvo jure, & præjudicio alterius* propter eandem rationem. Quarta est, *nisi is remittat*, in cujus favorem, & commodum juratur; nam, cum conditio de se sit honesta, nec substantiæ contractus, vel dispositionis (ut supponimus) contraria, juramentum pendet à subsistentia conditionis, ut diximus l. 4. tit. 5. à n. 772. de effectu conditionum, quæ generaliter insunt; ubi not. quòd etsi etiam Deo accedat jus ex juramento, in gratiam hominis edito, ut præstetur, quòd juratum est; Deus tamen non aliter acceptet, nisi *in commodum hominis*; consequenter homine remittente Promissori obligationem, cedentem in suum hominis favorem, eo ipso etiam indirectè remitti jus, Deo natum, ex tali juramento.

Quinta conditio est, *si res in eodem statu, quo sunt, permanserint*, consequenter *si non fuerint notabiliter mutata*; ratio hujus est. 1. quia sic materia promissa non foret eadem in eo, quo notabiliter diversa est à priori statu, consequenter juramentum extenderetur ad materiam non promissam contra communem doctrinam in n. 2165. Deinde sic habetur in c. *Veniens* 16. h. t. ubi jurans declaratus est liber ab observatione juramenti, parendi mandato; quòd juramento (secundum quòd erat in intentione jurantis) repugnaret; c. *Brevi* 17. eod. ubi excusatur à perjurio, *si superveniat difficultas*, quòd Ecclesie, cui juravit, non subveniat; idem colligitur ex c. *Quemadmodum* 25. h. t. & c. *Petitio* 31. eod. de quibus in præcedent.

Sexta conditio est, *si etiam alter id, super quo conventum est, impleverit*; sed hæc locum duntaxat habet in juramentis appositis *pacto reciproco*, seu utrinque obliganti. Quare Emptor, qui juravit, dare pretium pro merce conventa, venditore nolente dare mercem, non erit perjurus non dando pretium; quia juramentum cadit

dit supra contractum tacite imbibentem hanc conditionem, *si mercem dederit*, ut conventum est, id, quod colligitur ex c. *pervenit* 3. *h. t.* ibi: *nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento, vel fidei obligatione, interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat eum, conditioni minimè paruisse; & c. sicut* 29. *eod.* ibi: *juramentum autem, quod J. se asserit prestitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat, qui prestitit, dum ille, cui prestitum fuerat, servare negligit, quod promissit.*

2172.

Dices: *in caus.* 23. *q. 1. c. Noli* 3. habetur, *fidem datam, etiam hosti servandam esse*; deinde 33. *q. 5. c. quod Deo*. 4. habetur, si ambo Conjuges pari consensu voverunt continentiam, *quantumvis unus votum violat, alterum nihilominus teneri ad observantiam*. 3. *in 22. q. 4. c. Innocens* 23. dicitur, quod Josue pacem non revocandam censuerit, juramento promissam Gabaonitis, solum eo titulo, quia ad pacem cum illis conservandam jurejurando se obstrinxit; ergo non liberatur quis ab observantia juramenti, tametsi alter contra illud agat. Resp. ad 1. *in c. Noli*, desumpto ex S. Augustino, aliud non intendi, quam fidem datam, servandam esse etiam hosti, *si & ipse observet suam*; non autem secus; & ita tradit Sanchez *in Moralib.* l. 3. *c. 17. n. 6.* & alii. Ad 2. Resp. etiam dictum c. *quod Deo*, desumptum esse ex D. Augustino, & solum loqui de voto continentiae, emissio *absolutè* de alterius consensu, & vicissim; non autem sub conditione, si & alter servet vel pacto reproco. Ad 3. respondet Pirhing. *h. t. n. 28.* non fuisse in dato casu juramentum appositum pacto, seu obligationi *mutuae*, quod Gabaonitæ nihil vicissim Israëlitis promississent; consequenter hoc capite non impugnari resolutionem datam in *n. 2171.* sed ea verba in textu: *hac igitur mentis suae inclinatione Josue (fidem Gabaonitarum non habens in suspitione fraudis) ut crederet Gabaonitis, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmavit societatem*; videntur importare etiam Gabaonitarum promissionem *reciprocam*; hoc enim sonat *inire societatem*; hoc tamen non obstante, quod Josue noluerit recedere à jurejurando suo, esto illi fefellerint, solum probat, quod jure suo uti

noluerit; non autem, quod licite non poterit.

Sexta quaestio est, an juramentum habeat vim confirmandi contractus, qui eo secluso ipso jure sunt irriti; de qua quaestione egi *lib. 1. decret. tit. 35. & l. 3. tit. 13.* ubi tanquam probabiliorè amplexus sum cum aliis *negativam*. Contrarium tenet Pirhing. *h. t. à n. 132.* & alii loquentes de contractibus, jure cateròquin irritis, non naturali, & divino; sed humano; vel à Judice facile rescindibilibus, si non sint irritati propter bonum commune; nam hos negat confirmati juramento, hoc est, validari, ut ex illis nascatur obligatio justitiae; *probat. 1. ex c. Cùm contingat* 28. *h. t.* Deinde, *ex c. Licet* 2. *eod. in 6.* Tertio ex c. *Quamvis* 2. *de pactis in 6.* Verum aliud est, juramentum, etiam in casu, quo contractus ipso jure nullus est, eo secluso, servandum esse *ex vi religionis*, aliud, *ex vi justitiae*; primum enim conceditur, quoties juramentum valet; non secundum; nec aliud probant allegata jura.

Nam 1. in dicto c. *cùm contingat*, solum dicitur, quod mulieres, quando alienationibus super rebus dotalibus, & donationibus propter nuptias, consentiunt, consensum proprio Sacramento firmando, etsi mulierum consensus in talibus videatur non obligatorius secundum legitimas Sanctiones: ne tali tamen praetextu *viam* contingat *perjuriis aperiri*, ipsae servare debeant hujusmodi juramenta sine vi, & dolo sponte praestita, cum in alterius praedictum non redundant, nec observata vergant in dispendium salutis aeternae; ubi nota, non dici, servandum *contractum*; sed *juramentum*; nec, si soluto postea matrimonio contravenire nitentes permitterentur, *aperiri viam injustitiae*; sed *perjuriis*; quae omnia solum denotant obligationem in hoc casu *in vim juramenti*, & religionis; non autem *in vim contractus, & justitiae*. Deinde in c. *Licet*, solum statuitur, quod Judices seculares, etiam per censuras compelli possint, ut etiam in suo foro servent, quod jure Canonico ad provisionem animarum statutum est, consequenter etiam curare debeant, ut mulieres, quae cum juramento alienationibus dotium, & donationibus propter nuptias consentiunt, *juramentum obser-*

vent,

vent, nec ei contraveniant; ubi rursus nihil de obligatione *justitie*, & *contractus*; sed solum *juramenti* & *religionis*, cujus vinculum in hoc casu principaliter consideratur, ut patebit legenti textum. In c. *Quamvis* 2. de *Pactis* in 6. dicitur, quod, quamvis pactum Patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis: *si tamen juramento non vi, nec dolo praestito firmitatem fuerit* ab eadem, omnino servari debet: cum non vergat in aeternae salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum; & hoc omnino conceditur; sed an observandum sit titulo *soliis juramenti*, an *in vi pacti*? pacto etiam per jus civile reprobato: non resolvitur; & quia, ut ostensum est ex praecedentibus allegatis juribus, obligatio semper refunditur *in vim juramenti* (ne *perjuriis* via aperiatur) non *in vim pacti*, ne *injustitiae* locus sit, consecutaneum est, nec in hoc textu aliam definiti obligationem, quam solius juramenti, seu religionis; his positis:

2175. Dicendum 1. pactum, seu contractum jure positivo, aut jure civili prohibitum, & directe *propter bonum commune irritatum principaliter*, quantumvis apponatur ei juramentum, non confirmari juramento; quia pactis privatorum, etiam juratis, juri publico derogari non potest; *L. juris gentium*. 7. §. & *generaliter*, ff. de *pactis*; Sanchez l. 3. *moral.* r. 12. num. 43. & c. 9. num. 34. Azor. p. 1. l. 11. c. 7. q. 1. & alii, quos citat Pirhing *h. t.* num. 141. qui simul addit, *tali casu juramentum non obligare*; idem dicendum est, quando juramentum directe, ac principaliter tenderet *in praedictum tertii*; quia sic esset de re illicita.

2176. Dicendum 2. nec pactum, jure positivo irritatum directe ac principaliter propter *privatam utilitatem*, confirmari juramento, ut, quod per actum, cui apponitur, promissum est, praestari debeat ex vi pacti, & justitiae; sed tantum ex vi juramenti, si hoc validum sit, & religionis; ratio sumitur ex eo, quia id nullo jure ostendi potest, ut ostensum est num. 2174. ex responsione data juribus, a parte contraria allegatis; nec ex

Tom. II.

eo recte obligatio *justitiae* concluditur, quod tali pacto, quod secluso juramento irritum foret, & nullam pareret obligationem, accedente juramento in foro externo, etiam civili, concedatur, aut concedi debeat *actio*, ut constat ex dicto c. *Quamvis* in num. 2174. nam hoc non fundatur in ullo jure *justitiae*; sed solum in reverentia debita *juramento*, ut constat ex dicto.

Septima quaestio est, an juramentum promissorium, homini factum, obliget solum jurantem, consequenter inducat obligationem solum *personalem*, quae non egrediatur personam jurantis? atque adeo non transmittatur ad haeredes, etiam voluntate jurantis, si juravit v. g. *pro se, & heredibus suis*? vel, si quae *Communitas* aliquid sub juramento promisit *pro se, & Successoribus suis*? Resp. nec haeredes, nec Successores obligari, in vi religionis, virtute juramenti à defuncto, vel Antecessoribus emissi, consequenter obligationem juramenti *ex vi religionis* esse solum *personalem* ex parte jurantis; sic D. Thomas 2. 2. q. 98. a. 2. ad 4. Abbas in c. *Veritatis* 14. h. t. n. 3. Covar. c. *Quamvis* de *pactis* in 6. p. 1. §. 5. n. 4. Suarez l. 2. de *juram.* a. 31. n. 12. Sanchez in *Decal.* l. 3. c. 13. à n. 1. &c. ratio est; quia, si haeres *ex vi religionis* teneretur juramento, à defuncto Testatore emisso; non praestando rem juratam, committeret *perjurium*; hoc autem dici non potest; cum à solo illo committi possit *perjurium*, qui personaliter juravit; qualiter solus ille *mendacium* aut peccatum committit, qui loquitur contra suam mentem, vel agit contra suam conscientiam; non autem, si loquitur contra mentem; vel agit contra conscientiam, alterius.

Dixi 1. *haeredem*, vel *successorem* non teneri *juramento* defuncti Testatoris, vel Antecessoris, aliud est de haerede *quoad a-litas obligationes* & res justitiae, in quibus dispositione juris representat defunctum; nam tali casu tenebitur *ex contractu*, vel *quasi contractu* ad id, ad quod defunctus tenebatur, in quantum fictione juris, & per ordinem ad quae habet *identitatem juridicam* cum defuncto, in cujus haereditatem succedit. Successores in aliqua *Communitate*, vel dignitate, non aliter

Cccc

aliter tenentur, quæ ab Antecessoribus jurata sunt, nisi *statutum* intervenerit; quo fit, quando defunctus, vel Antecessor solo juramento fuit obligatus; non autem promissione, vel contractu (puta si jure reprobarus sit, vel relaxatus propter injuriam, aut aliam causam) hæredem, vel Successorem ad nihil teneri; quia ponitur, quòd in defuncto, vel Communitate *nulla* fuerit obligatio, nisi *juramento*; sed hæc personam non egreditur, ex dict. ergo.

2179. Dixi 2. *juramento non induci obligationem, nisi personalem*, consequenter non transmissibilem ad hæredes, vel Successores jurantis; quæstio est, an promissio jurata sit *personalis* etiam ex parte *promissarii*, seu ejus, cui *cum juramento* promissum est, consequenter talis promissor sit obligatus soli promissario, non autem hæredibus ejus, saltem ex vi juramenti? Non est dubium promissorem, se posse obligare vel *soli promissario*; non autem *hæredibus* ejus; vel *promissario, & hæredibus* ejus; hoc enim pendet ab ejus intentione. Quare in casu, quo quis alteri promittit aliquid promissione jurata, non exprimendo nisi personam promissarii, atque adeò *nulla mentione hæredum, vel successorum* facta, res decidenda erit dependenter ab intentione jurantis, si de illa constare possit: in casu autem, quo de illa dubitatur, videtur dicendum juxta L. 9. ff. de Probat. quæ sic loquitur: *si pactum factum sit, in quo hæredis mentio non fiat, queritur, an id actum sit, ut ipsius duntaxat persona constitueretur?* sed quamvis verum est, quòd qui excipit, probare debeat, quòd excipitur: *attamen de ipso duntaxat, ac non de hærede ejus quoque convenisse, petitor, non qui excipit, probare debet*: quia plerumquæ tam hæredibus nostris, quàm nobismetipsis cavemus; quo habetur, si Titius debitori suo Caio juratus promissit, se debitum ab illo non repetiturum, non facta mentione *hæredum* ejus, & deinde debitum petat ab hærede Caii, is autem opponat exceptionem juramenti, à Titio facti, *de non petendo debito*, debere probare suam exceptionem, quòd nulli, nisi Caio, non autem hæredibus ejus se obliga-

verit; sed voluntatem suam ad solam Caii personam restrinxerit, ex vi dictæ legis.

2180. Quæstio est 8. an obligationi ex juramento possit satisfieri per aliquid æquivalens? ponimus autem, quòd jurans intenderit rem *determinatè*; in hac re, negativa suadetur ex triplici capite, quando scilicet obligationem non remittit promissarius; primò enim juramentum ad idem obligat, ad quod promissio, vel contractus, cui apponitur, ut diximus in Superioribus; ergo sicut promissioni *de re determinata* non satisfit sine consensu promissarii, cui jus ad rem determinatè promissam ex promissione acceptata natum est, dando aliud pro alio; ergo nec juramentum. Alterum proponit Haunold. tom. 5. de just. tr. 4. n. 866. quia jurans tenetur; verificare sua verba, quorum testem adducit Deum, si in animo non cogitavit de æquivalente; ergo etiam si jura civilia permitterent electionem promittenti, ut vel rem promissam, vel æquivalens solveret (sicut aliqui docent, minùs quidem verè, posse venditorem satisfacere præstando interesse loco rei venditæ, tamen, si accessisset juramentum, leges illæ non deberent favere debitori, quia videtur per juramentum voluisse assecurare Creditorem, de re promissâ in specie solvenda, nisi aliud expressisset.

2181. Hac occasione idem Author proponit hanc quæstionem: an, quando ex consensu promissarii (idem est, si à Superiore) mutatur materia, seu res jurata in aliam, (v. g. si Sponsa, cui jurata sunt sponsalia, consentiat, ut sibi solvantur 100. in dotem) an, inquam, debitum dotis etiam sit sub vinculo juramenti debitum? & affirmativam resolvit cum Suarez l. 2. de juram. c. 36. num. 8. Sanchez l. 4. de voto, c. 55. num. 4. & alii; quia alioquin non esset *commutatio*, sed relaxatio seu extinctio prioris juramenti, & nova nuda, ac simplex promissio: hoc autem, nisi partes id expresserint, non præsumitur; nam verbum, *commutatio*, significat subrogationem unius debiti in locum prioris, adeoque cum eodem rigore obligationis.

Nec

Nec enim potest presumi Creditor velle aliter in commutationem consentire, quam cum eadem securitate de obtinendo, quod subrogatur.

2182. Circa istam questionem mihi videtur, in casu, quo res aliqua determinatè, ac in specie promissa est promissione juratà, intentione promittentis, & jurantis tendente directè in illam, si mutetur, seu subrogetur alia materia, materiæ juramento promissæ, non manere promissionem internam priorem, saltem quoad esse physicum circa materiam subrogatam; quia actus ille voluntatis, quo juratus promissor intendebat se obligare directè, ac specificè ad sponsalia v. g. non ferebatur in aliud, dotem v. g. loco sponsalium; ergo circa dotem non præcessit ulla obligatio, sed tantum circa sponsalia: in casu autem, quo promissarius consentit in substitutionem dotis, non manet obligatio circa sponsalia; sed tantum circa dotem; ergo; ex hoc autem sequitur nec manere obligationem priorem in genere moris, quæ prius erat, sed substitui novam sub eadem virtute, quæ prior erat, tam in casu, quo promissarius consentit, ut alia materia subrogetur, quam cum legitima potestate commutatur; quare dicendum videtur in casu, quo materiæ priori subrogatur alia (sponsalibus v. g. dotatio) sine consensu promissarii, sive commutatione legitimâ, extinguatur obligatio circa sponsalia, & promissorem consentiendo in commutationem, saltem tacitè substituere aliam circa materiam subrogatam, ejusdem virtutis, cujus erat prior circa materiam directè promissam; quo fit juramento eidem numero non posse satisfieri per æquivalens.

2187. Neque dicas: sic commutationem non fore diversam à relaxatione, seu dispensatione; nam relaxatio stat in eo, quod tollat obligationem præexistentem circa materiam juramento promissam; sed hoc juxta dicta contingeret etiam in commutatione. Resp. N. illatum; nam relaxatio non stat in eo, quod utcumquè tollat obligationem præexistentem circa materiam juramento promissam; sed quod tollat omnino, quin imponat ex eadem virtute aliam circa novam materiam; commutatio autem ita tollit obligationem præexistentem circa materiam juramento

Tom. II.

promissam, ut imponat ex eadem virtute aliam, circa novam materiam; hac enim ratione videtur fieri commutatio; & promissarius consentiens in mutationem, nisi aliud exprimat, non presumitur aliter consentire. Accedit, quod, si eadem numero & promissio, & juramentum de sponsalibus, transferretur in aliam materiam, caderet in id, quod nec promissum, nec juratum est illo juramento. Unde & ipse Haunoldus loc. cit. n. 868. expressè dicit, quod commutatio tollat priorem obligationem, & novam substituatur, & sit conversio unitus obligationis in aliam.

2184. Quæstio 9. est, an juramentum impleri possit compensatione? Resp. in re totum pendere ab intentione jurantis; an intenderit se obligare ad physicam præstationem rei promissæ; an solum juridicam, quæ fiat præstando præcisè valorem, vel remissione debiti in valore tanti, quanti est res promissa, ut si Titio, qui debet tibi centum ex mutuo jurasti daturum centum; dando enim re ipsa, implet promissum solutione physicâ; remittendo illos centum ex mutuo debitos, implet promissum solutione juridicâ; quibus positis: Resp. etsi compensationi in pluribus casibus locus sit, de quo ex professo egimus lib. 3. decret. tit. 13. à n. 1040. in casu tamen, quo intentio jurantis ferebatur determinatè in præstandam actum, & physicè solutionem promissam, non impleri juramentum compensatione; quis sic non ponitur, quod promissum & juratum est; sed aliud; quo non verificaretur, in cujus confirmationem Deus in testem vocatus est: in casu autem, quo jurans reservavit sibi potestatem compensandi; vel solum in genere juravit dare tantum, præscindendo à datione physica, vel juridica, ut exposuimus, satisfieri compensatione; sic enim sub datione generali, & indeterminata etiam venit compensatio, modò sit materia, quæ aliàs compensationem admittit, ut notavimus cit. l. 3. à n. 1040. & seq. plura de juramento tradidimus in tract. ad præcepta primæ Tabulæ.



Cccc 2

QVA.